DE FASCINO
LIBRI TRES,

Auctore

LEONARDO VAIRO
BENEVENTANO

Ordinis S. BENEDICTI *Canonici Regularis, ac sacræ* THEOLOGIAE *Doctoris:*

In quibus omnes Fascini species, & causæ optima Methodo describuntur, & ex Philosophorum ac Theologorum sententijs eleganter explicantur:

Nec non contra præstigias, imposturas, allusionesque dæmonum, cautiones & amuleta præscribuntur: ac denique nugæ, quæ de ijsdem narrari solent, dilucidè confutantur.

Cum gemmino INDICE *altero Capitum, altero rerum memorabilium.*

VENETIIS. CIↃ IↃ XXCIX.
Apud Aldum.

Mich. Richey. 1728.

A. 5115.

ILL.MO ATQ. EXCELL.MO
DOMINO
IOANNI STVNICAE,
PRINCIPI

Petræ Præsiæ, militiæ Diui IACOBI Maiori Commendatario.

LEONARDVS VAIRVS
S. P. D.

INTER præcipuas rerum causas, Princeps Excellentissime, tria esse reperio, quæ hominem ad summam perfectionem & ad sempiternam gloriam perducere possunt, naturam scilicet, disciplinam, & consuetudinem. Natura enim omnis perfectionis origo & fundamentum est: hæc sine disciplina, cæca, man

ca & imperfecta vt plurimum eſſe conſueuit: vtraque tamen per conſuetudinem & exercitationem perficitur. Natura ſiquidem paruulos quoſdam igniculos indidit, quos tamen malis moribus opinionibusq́; deprauatis ſic reſtinguimus, vt nuſquam naturæ lumen appareat. nam ſimul atque editi in lucem & ſuſcepti ſumus, in omni continuò prauitate verſamur, vt penè cum lacte nutricis, errorem ſuxiſſe videamur: tum ita variis imbuimur erroribus, vt vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat, adeo vt ab ea prorſus deſciſcere videamur. At qui curſum vitæ tuæ diligenter animaduerterit, ſummo quodam conſenſu hæc tria in te conueniſſe reperiet. Tu enim iam inde à pueritia eximię indolis & ſummæ virtutis ſpecimen præ te ferens, nobiliſſima virtutum ſemina ingenio tuo innata aſſiduo ſtudio atq. aſſuetudine tãtùm iuuiſti, vt ſummam

omnium

omnium ſpem, quæ de te adhuc puero habebatur, continuò adoleſcens incredibili virtute ſuperaueris: & vir tandem factus maximos ingenii fructus edideris, non Potentiſſimo Hiſpaniarum Regi duntaxat, ſed uniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ gratos. Poſtquam enim primum fœlicitatis theſaurũ habuiſti (qui eſt, vt ſapientes volunt, ab optimo integerrimoq́; patre procreari) in aula Caroli Quinti Imperatoris Inuictiſſimi ita educatus fuiſti, ut probatiſſimorum uirorũ inſigniores uirtutes, & clariſſimorum Philoſophorũ celebriores diſciplinas imbiberis, atq; in ſuccum uerteris. Teq́; ita cõparaſti, ut qui in aperto medioq́; ſpectaculo ante omniũ oculos vitam acturus eſſes. Deniq; id egiſti, vt qualis videri velles, talis etiam eſſes, quod Socratem præcepiſſe legimus. Quocirca non ſolùm nihil peccãdo, verumetiã honeſta quæq; peragendo, manifeſtũ te omnibus exẽ-

plar exhibuisti, in quod perinde ac in speculum intuentes, ab operũ simul & sermonum turpitudine auerterentur. Cumq́; triplex vitæ genus, iuxta cõmunem Philosophorum sententiam reperiatur, actiuũ scilicet, contemplatiuũ, & voluptuosum; postremum quidem molle ac dissolutum, actiuũ verò si bonis disciplinis careat, ineptũ & magnis erroribus inuolutum, cõtemplatiuum ab actiuo non seiungendũ existimasti: vtrumq; igitur complexus, tuorũ maiorum virtutũ hæres, eorumq́; laudis & gloriæ imitator euasisti. Gloriantur profectò multi Maiorum suorũ ornamentis, eorumq́; splendescunt limine: at tu illorum gloriã solidiorem ducis, qui non tãtùm paternis & auitis decoris nituntur, sed etiam ea cumulãt suis. Ideo sicut Rex Philippus tui patris institutis imbutus splendoris & amplitudinis Regiæ decus & ornamentũ fuit, ita tu eiusdem parentis ac maiorũ tuorum

rum

rum exempla imitatus, cæteris omnibus præluces; adeo vt nõ modò ipsius sapientissimi Regis, verumetiam omniũ iudicio dignus habitus sis, cui grauissimarum rerũ administratio, & ipsorum Regnorum gubernacula cõmitterentur. Nam vt de aliis eminentissimis virtutibus tuis nihil dicam, de prudentia inquam, de fortitudine, de iustitia, de grauitate, de religione; quis in litteris vir eminet, præsertim inter Italos, quẽ singulari comitate beneficentiaq; tibi non deuinxeris? Hinc ardens quidam litterarum, ac potiùs immortalitatis, quæ litteris cõtinetur, amor maximis quibusq; animis ingenitus in te perspicitur: vnde non mirũ est, si quidquid temporis à negotiis tibi superest, id omne ad bonorum auctorum opera legenda conferas. Quid? cùm Romæ per tot annos apud Pont. Max. legationem exerceres, nonne Romanorũ Ciuium & Cardinalium omnium, atque

adeo ipsius Pont. Max. amorem ac beneuolentiã adeo tibi conciliasti, vt omnes incredibilia propè amoris testimonia erga te tum præsentem, tum postea absentem ostenderint? Nam singulari quodam studio & innata quadam humanitate ita de omnibus benemereri studebas, vt beneficẽtiæ ac benignitati natus uidereris. Non insolens, non nimium tui amans, non vlli acerbus, non grauis, nõ infestus, sed omnibus benignus, blandus, comis, facilis; cuius domus nemini obserata, sed omnibus patens erat, quò se quisque velut è tẽpestate & fluctibus in portũ tutò recipere posset: lętitiam tristitiamve illorum, qui te negotii causa adibãt, tecum cõmunem habebas. Inferiores æquitate, facilitate, & beneuolẽtia alliciebas, potentiores obsequio & comitate attrahebas, paribus mira comitate honorẽ habebas, omnes beneuolè amplectebberis, eosq; in tui admirationem adducebas,

bas, tibiq́; prorsus deuinciebas. Non longo seruorum & comitũ agmine tumidus, non publicis in spectaculis frequens, nõ deliciis & nimio sumptu insignis: sed frugalis, placidus, mitis: incessu, vestitu, vxoris atque familiæ cultu, cæterisq́; huiusmodi lautitiis talis, vt quasi vnum de cœtu te quilibet iudicaret: in omnibus interim rebus modestiam fidissimam omnium virtutum custodiam semper adhibens. Non cessationem & otium, quod pleriq; facere solent, quæritabas: sed Regiis mãdatis exequẽdis omnem operam, atq; adeo vitam ipsam impẽdebas. Quo effecisti, vt tua apud eũ auctoritas tanta sit, quã tam Antipatri apud Philippum Macedoniæ Regem fuisse legimus. nec me hercule immeritò, si quidẽ per te, Rex in vtramque aurem dormire potest, cuius ipse oculus appellari potes: nam in dispiciendis rebus, lynceis vteris oculis, summo in prouidẽdis cõsilio, quid

Popu-

Populorum ac Prouinciarum vtilitas, quid Regnorum ſalus, quid res, & tēpora poſcāt, ſemper cogitas. Vnde nil mirū ſi Neapolitani Regni adminiſtrationē tibi id minimè ambienti Philippus delegauit. Ad quod munus ea mēte atq; conſilio minimè acceſſiſti, quēadmodum Stratoclem & Dromoclidē feciſſe legimus, qui mutuò ſeſe ad meſſem auream inuitabant; ſic enim ioco gubernationē appellabant: non enim manus tantùm abſtinentes, ſed oculos & mentem ipſam habuiſti. omnemq; actionem, & vitæ totius conſilium ita attemperaſti, vt ſucceſſuris in eam Prouinciam præclarū exemplar quod imitentur, reliqueris. Qua de cauſa quod ſapientes dixerunt, verū eſſe experior, Magiſtratum non modò adminiſtrantis viri ingenium, naturā, & mores patefacere, ſed virum quoq; ipſum Magiſtratus dignitatem oſtendere: nō enim minori ornamento ei muneri fuiſti, q̃

illud

illud tibi. Et licet vulgus mores, vitam, actiones, consilia omnia eorum qui rebus publicis præsunt, curiosissimè rimari atque introspicere soleat, quamlibet altè obtecta, & tanquam velamentis abdita: nihilominus quo accuratiùs in te oculos Neapolitani figebant, eo magis amore ac desiderio flagrabant, tuam probitatē & integritatem ad cęlum efferendi, summisq; laudibus prosequendi. Equidem nescio an ob mortem tui fratris Ducis prudentissimi Belgarum mœror, quorū afflictas ac propè cadentes res erat erecturus, maior fuerit eo, quo nūc Neapolitani ob tuū illinc discessum afficiūtur. quibus unicum solatium esse video, quòd te apud Regem ipsum Protectorem ac Patronū habituros se sperant. Sed quorsum hæc? dicet aliquis. annon vides vt Fascinatio sit metuenda laudato? Nihil est ab hac periculi. nam tuæ gloriæ magnitudo ac splendor optimum Amu-

letum

letum est contra maleuolorum inuidiam, & quoduis fascinum expellit. De quo quidem Fascino cùm tractatũ absoluissem, iamq́; in procliui esset, vt formis excuderetur, tuo nomini consecratum esse volui, ita præsertim suadente Illustrissimo & Reuerendissimo Domino meo Cardinali Granuellano: Cui etsi hoc opus iure quodã proprio deberi videatur, lege tamen illa Pythagorica, quæ amicorum omnia iubet esse communia, tuum esse potest. est enim æqualitas, vt Plato ait, amicitiæ auctrix. Quid Cardinalis Dominus meus habet, quod tuum esse non summopere cupiat? Vestræ profectò amicitiæ vinculum adeo efficax, potens & prævalidum est, vt nulla ex parte sanguinis nexui inferius existimetur: quia hic nascẽdi sors fortuitum opus, illud solido iudicio coacta voluntas cũ virtute coniuncta contrahit. Cũ igitur nihil aliud sit amicitia quàm omnium diuinarum

huma-

humanarumq́; rerum cum beneuolentia & charitate ſumma conſenſio, inter vos omnium rerum, conſiliorum, voluntatum, communitas eſſe debet, alteriusq́; animus ita cum altero cōmiſceri, vt penè vnus ex duobus efficiatur, & quiſq; alter idem verè dici poſſit. nec huius amicitiæ recens principium eſt, altiſſimas iam radices egit, in ſuo ſcilicet Fratre orta ac in te propagata, mox etiam in ſucceſſores veſtros propaganda. Accipe igitur, Præſtātiſſime Princeps, hoc munus animi mei qualecunque argumentum. præclarè enim mecū actum iri arbitrabor, ſi nominis tui fulgore ab omni vetuſtatis carie & ab omni liuore atq; obtrectatione tutum poſteritati commendetur. Quod ſi tibi gratum eſſe cognouero, me in poſterum ad multò maiora præſtanda, longeq́; præclariora mei in te animi ſigna edēda alacriorem reddes. Vale, meq́; in ære tuo repone.

INDEX CAPITA
LIBRI PRIMI.

AN ſit Faſcinum. pag 2
Quid ſit Faſcinum, eiuſque definitio examinatur: & imaginationem, illius cauſam eſſe oſtenditur. 6
De viſu, qui Faſcini definitionem ingreditur. 11
De tactu Faſcinum efficiente. 17
De uocis natura, quæ Faſcini cauſa exiſtit. 21
De cęli obſeruatione, quę ad Faſcinum concurrit. 27
Quale Faſcinum ſit. 32
Propter quid Faſcinum ſit. 37
De Faſcini ſpeciebus. 42
An aliqui ſeſe faſcinari poſsint. 44
An aliqui natura faſcinatores naſcantur. 46
De qualitatibus faſcinantis. 49
Qui faſcino magis obnoxij ſint. 52
De Amuletis hebetantibus & auferentibus faſcinum. 55

LIBRI SECVNDI.

QVa uia, quibus ve principiis de faſcino determinandum ſit. 59
De cauſæ, ac faſcini diuiſione. 62
Imaginationis natura, declaratur, minimeq; per eam faſcinum fieri poſſe oſtenditur. 63

Quo

Quo pacto per imaginandi uim occulta, & futura præsciri queant. 75
Non per imaginandi uires, sed per dæmonũ auxiliũ, occulta quædã & futura præsciuntur. 80
Nonnullos hominum conceptus, & rerum simulacra, & cordis affectus dæmones cognoscũt: de quibus superstitiosi quidam edocti, per uim imaginatricem eam cognitionem se assecutos iactant. 84
Nihil ad generationem, quantum ad prolis similitudinem, ad sexum imaginatio confert, sed horum causa in semine latere ostenditur. 90
Cætera de imaginatrice ui confutantur, atque per eam nullo modo fascinum iaculari posse concluditur. 99
Fascinum per uisum iaculari confutatur: atque singulorum, quæ ab oculorum radiis fieri censentur, uera causa redditur. 105
Per tactum fieri fascinum non posse demonstratur: ac singulorum contrarium asserentium exemplis, & rationibus satis fit. 122
Vox sua natura fascinandi ui caret, atque nomina, uerba, characteres, & numeri nihil efficere amplius possũt, quàm id præ se ferre, ad quod significandum instituta fuerunt. 137
Non in ueram, sed in apparentem, aut imaginatam brutorum, aut aliarum rerum formam ac figuram dæmonum deceptione, & non uerborum uirtute (ut quidam putant) mutatos fuisse nonnullos, quos legimus. 160
Corpora de loco ad locum mira celeritate dæmo-

mo-

monum, & non uerborum ui, transferri pos-
sunt. 173
Cœli obseruatione, fascinare nemo potest. 184
Propria fascini definitio traditur. 202

LIBRI TERTII.

AVctoritatum fascinum esse loquentium uera expositio, ac sensus. 204
Quale fascinum sit, ex Theol. sen. 215
Propter quid fascinum sit, iuxta ueram Theologorum sententiam. 216
De ueris fascini speciebus. 219
Quo pacto nonnulli se se fascinare queant. 221
Nemo ad fascinandum idoneus natura nascitur, sed dæmonum ope huiusmodi uis hominibus inest. 223
De ueris fascinantium qualitatibus, & cautionibus. 232
De communibus dæmonum fascinantium cautionibus. 233
Quibus cautionibus dæmonum suasu ab hominibus completis, alias dæmones addunt. 234
Veræ qualitates, ac dispositiones, ex quibus iuxta piorum hominum sententiam in fascini pestem inciditur. 238
Per narratam fascinandi uiam, dæmonum astu inuentam; homines ad amorem allici, & ad odium excitari possunt. 241
De ueris, pijs, ac sanctis Amuletis, fascinum, atque omnia ueneficia destruentibus. 251

FINIS.

DE FASCINO

LIBER PRIMVS

LEONARDI VAIRI BENEVENTANI

Ordinis S. BENEDICTI *Canonici Regularis, ac sacræ* THEOLOGIAE *Doctoris:*

PROOEMIVM.

EXIMII Philosophi multisq; de rebus, quę in Philosophia tractantur, grauissimè & copiosissimè disserentes, fascini naturam ob eius obscuritatem parum aut ferè nihil attigerunt. Cumq; permultæ ac difficiles in hac tam ardua quæstione rationes mihi occurrerent, quę naturę principijs innixę non parum vtilitatis ac claritatis huic materię afferre posse uiderentur: operæpretium me facturum putaui, si pro viribus hac de re nonnihil dicerem; quò abdita & salebrosa fascini uis aperiretur, tantisq; tenebris uel tantillũ lucis afferretur. Viq; optatę rei scopũ faciliùs attingerem, Aristotelis vestigia persequi decreui; qui de re quapiam tractaturus, aduersariorum opiniones in primis in mediũ affert; quibus examinatis & reiectis, sua deinde sententia firmior & validior persistit. In primo itaq; lib. Fascini materiam ex Philosophorũ placitis, cũ eorundem principijs, & rationib. adducemus; in reliquis verò à Theologiæ vestigijs, proprijsq; rerum causis ne latum quidem vnguem discedentes, nostrã sententiam afferemus.

Cur de Fascino scribat.

Aristotelis mos in examinanda q̃stione aliqua. Methodus autoris in his trib. libris.

An Fascinum sit. CAP. I.

Ab axiomate omniū calculo recepto, a testimonio tum profanorū, tū sacrorum autorū, ab historijs, ab experiētia & cōmuni opiniōe fascinum esse probat.

Res de qua agēdū est, pręnota esse debet.

Varij & locupletes testes de fascino.

FASCINVM *esse, atque in rerum vniuersitate reperiri, probatione non indigere existimo: tum quia auctores ferè omnes, non Latini, & Arabes tantùm, sed etiam Greci dixerunt Vniuscuiusque operis rē, de qua in eo agendum sit, prænotam esse oportere; & cùm de fascinatione, perinde ac de præsentis operis materia verba facturi simus, illam notissimam esse præsupponimus: tū etiam quia non desunt historię, quæ de admirabilibus fascini effectibus fidem faciunt. Nam Aristoteles omnium rerum optimus indagator de fascini viribus meminit. Alexander Aphrodisiensis fascinatores veneficos appellat, quorum documentum esse tradit, vt venenent alios intentè illos contuentes carmine prolato. Plutarchus ab inuidia proprium corpus contaminari dicit, ex quo deinde effluuia ad alios perueniunt, eosq; lædunt; à cuius sententia Heliodorus non discedit. Isigonus in Triballis, & Illyrijs homines reperiri ait, Plinio referente, qui visu effascinent, interimantque, quos iratis præcipuè oculis diutius intueantur. In Africa familias quasdam esse effascinantes Nymphodorus asserit, quarum laudantium voce probata quæque intereant, arbores arescant, infantes emoriantur. Huius generis familiæ Scythiam incolunt, quæ Bythię uocantur, vt Apollonides prodit. In Ponto quoque Thibiorum genus, multosque alios eiusdem naturæ Philarchus narrat. Algazel fœminas uisu ubique nocere affirmat. Auicenna & Pomponatius rebus quibuslibet uehementi imaginatione perniciem inferri posse autumant.*

Aristoteles & Alexander Aphro.

Plutarchus & Heliodorus.

Isigonus.

Nymphodorus.

Apollonides.

Philarchus

Algazel.

Auicenna & Pōponatius.

tumant. Solinus Plinij asecla quasdam familias inueniri memorat, quę uoce atque lingua fascinant. Philostratus Apollonium Thyanæum fascinandi naturam habuisse fatetur. Quid illud?

Apollonius Thyanæus fuit fascinator.

Nescio qs teneros oculus mihi fascinat agnos.

Virg. 3. Ecl.

Quid quòd in decemuiralibus tabulis apud ueteres sancitum fuit, eos capitis reos fore, qui alienas segetes excantassent, aut vllis veneficijs, carminibus & fascinationibus pellicere ausi essent, ita enim in his relatũ est,

Ne pelliciunto alienas segetes excantando
Ne incantanto: ne agrum defraudanto.

XII. tab. lex in fascinantes.

Nonnulli legum periti, inter quos Ioannes Franciscus Ponzinibius, & Petrus de Tarantasia, oculo urenti ob animam infectam pueros fascinari aiunt, totisq; uiribus defendunt. Illud quoque ex Plinio huc adducere libet, quod licet ad Magiam spectare uideatur, tamẽ quia fascinum Magiæ speciem esse reor, huic narrationi congruere uidetur: C. inquit, Iurius Cresinus è seruitute liberatus, cùm in paruo admodum agello largiores multò fructus perciperet, quàm ex amplissimis uicinitas, in inuidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret ueneficijs. Quamobrem à Sp. Albino curuli die dicta, metuens damnationem, cùm in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit, & adduxit filiam ualidam, atque, ut ait Piso, bene curatam & uestitam, ferramenta egregiè facta, graues ligones, uomeres ponderosos, boues saturos: Postea dixit, Veneficia mea, Quirites, hæc sunt, nec possum uobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes, uigiliasque & sudores. hæc ille. Qui suo tempore portentum etiam, ac prodigium omnium maximum acci-

Ponzinibij & Tarantasij Iuriscõsultorum assertio.

Plinij historia de Cresino Magiæ suspecto.

Altera Plinij historia.

Oliuetum Vectij excãtatione aliò traductum.

In Pharmaceutria, Ecl. 8. Ab experiẽtia Fascinũ esse probat.

A communi omniũ consensu.

Immodica laus de Fascino suspecta est.

Anicularũ quarũdam supstitio.

Danda fides historijs.

disse testis est; Vniuersum scilicet Oliuetum in agro Marrucino Vectij Marcelli, qui eques Romanus fuit, & Neronis procurator, uiam publicam transgressum, atque ipsa prædia ex loco in contrarias sedes profecta esse. Idque uerbis Poetæ de simili re loquentis conuenire uidetur,

Atque satas aliò vidi traducere messes.

Experientia insuper ab huiusmodi dubitatione nos retrahit; siquidẽ cùm effascinatrices, & effascinatos passim circumspiciamus, si fascinũ reperiri ambigeremus, nos in tãta rerum claritate allucinari, & nullam nobis rationis micam inesse quilibet arbitrari poßet. Huc etiam communis omniũ opinio accedit; nam si acriùs quàm par sit, quidquam laudibus prosequi cœperimus, illicò nobis, ut ab eo laudando desistamus, ne id effascinemus, imperatur; & ne quam noxam contrahat, confestim contra fascinum amuletum paratur. Quin & aliqui sunt, qui dum laudantur, faciem auertunt, non tantùm ut sibi molestam esse laudem indicent, sed ut à fascino caueant; ea enim opinio inualuit, ut per laudantium uocem fascinum fieri credatur. Nostrę præterea tempestatis mulierculæ non mediocrem fascino uim inesse indicant: dum res, quæ ipsarum curæ & custodiæ demandatę sunt, tot præsidijs ac remedijs aduersus fascinationem muniunt. Qua de causa apud peritos non bene audiunt, qui fascinum rident, & aniles nugas esse existimant; & historijs fidem non adhibere periniquum esse duco, cùm rerum euenta famæ respondeant. Nec si causæ ratio nos penitus prætereat, idcirco rem ipsam ridiculã ducere debemus: infinita enim propè sunt, quorum rationem adipisci nequimus. Quinimò risu digni

exi-

existimantur illi, qui nimis anxiè in rimãdis singularũ rerum rationibus intẽti sunt; & ex omnibus naturæ miracula tollunt: quoniam vbi causæ ratio nos latet, illinc peruestigandi nobis exordium nascitur. Quo circa philosophiam destruere uidentur, qui fascino, utpote naturæ prodigio, fidem non habent: cuius uim ne sacrarum quidem litterarũ studiosi diffitentur; nam per illud oculorũ radijs intermedijs, & imaginatione, grauibus malis mortales affici posse cẽsent. Vnde Sapiẽtiæ libro hęc uerba leguntur, Fascinatio malignitatis obscurat bona. Apostolus quoque ita clamat, O insensati Galatæ, quis uos fascinauit? in quorum uerborum expositione interpretes aiunt: Quidam habent oculos urentes, qui solo aspectu inficiunt alios, & maximè pueros. Diuus Hieronymus, cùm infantes ex improuiso macrescere, tabescere, miserè torqueri, aliquando miro eiulatu clamare, ac flere uideret, inquit, Pueris & ætati paruulę fascinum nocet. Isidorus fascinatores à ueneficis non distinguẽs, ait, Hi elementa concutiunt, mentes hominum turbãt, & absque ueneni haustu, sola ui carminum animas interimunt. Sãctus Thomas dicit: & fortè animæ imaginatione spiritus immutatur corporis coniuncti, quæ quidem spirituum immutatio maximè in oculis fit, ad quos subtiliores spiritus perueniunt. Illa quoque uerba Psalm. Qui timent te, uidebunt me: sic exponunt: Magna uirtus in oculis est; quod in naturalibus apparet; animal enim uisum prodest ictericis: quem prior uidet Lupus, ei uocem aufert: sic Basiliscus, si prior uidet, occidit; si prior uidetur, occiditur. Dionysius Carthusianus de hac fascinandi ui ita sentit; Fascinationem fieri interdum per quandam effluxionem humorum nocen-

Vbi nullus rationi, ibi inuestigationi relinquitur locus.

Biblia sacra Fascini meminerunt.

Verba Salomonis & D. Pauli.

Hieronymus.

Tenellę ætati obest Fascinum.

Isidori verba in fascinantes.

D. Thomæ opinio.

Ictericos iuuat animal visum. Lupi & Basilisci obtutus quomodo noxius.

Carthusiani circa Fascinũ opinio.

tium, aerem inficientium, sicut quorumdam urentes in fectique oculi teneros lædunt pueros, adeo ut escam euomant atque fastidiant, propter quod pueri tales fascinati dicuntur. Olaus Magnus de gentibus Septentrionalibus: Sunt, inquit, Biarmi idolatræ, & Amaxobij Scytharum more, atque in fascinandis hominibus instructissimi, quippe qui aut oculorum, aut uerborũ, aut alicuius alterius rei maleficio homines ita ligant, ut liberi non sint, nec mentis compotes, sæpeque ad extremam maciem deueniant, & tabescendo dispereant. Ne igitur tot grauißimis uiris, historijs, experiẽtiæ, & cõmuni omniũ opinioni fidem detrahere uideamur, nullatenus an fascinum sit, probare conabimur; sed ipsum eße concedentes, ad eius diffinitionem aßignandam, & enucleandam accedemus.

Olai Magni historia de quibusdã nationibus et fascinantibus.

Quid Fascinum sit, eiusque diffinitio examinatur: & imaginationem illius causam esse ostenditur. Cap. II.

Describit fascinum.

FAscinum, est perniciosa quædam qualitas, intensa imaginatione, uisu, tactu, uoce, coniunctim uel diuisim, cæli quandoque obseruatione adhibita, propter odium uel amorem inflicta. Pro cuius diffinitionis examine notandum est, causarum duo esse genera, naturale unum, morale alterum; ut, qui vult, imperat, consulit, suadet, impellit, is eius rei, quę uoluntate, imperio, consilio, suasu, impulsu suo fit, moralis causa dicitur. At cùm quis innata atque insita ui, & non externa actionem uniformem exercet, eius actionis naturalis causa appellatur. In hac autẽ fascini descriptione, utraque causa conspicitur collocata, ut intelligatur ex artis

Moralis cã quæ sit.

Naturalis causa.

&

& naturæ principijs fascinationem originem trahere. Partes omnes, quibus descriptio hæc cōstatur, iuxta præstantissimorum Philosophorum doctrinam aperiendas & declarandas proposui; utque à prima particula, quæ est imaginatio, exordiamur, animaduertendū est, quòd inter alias potentias animæ sensitiuę attributas, quæ corpora nostra alteratione afficiunt, est imaginatio ipsa; quia etsi animales uirtutes ratione qua lassitudinem in corpore ob laborem efficiunt, maximè alterantes dicuntur. Vnde alia uitalis, alia concupiscibilis, alia irascibilis uocitetur; tamen præcipuam alterandi uim imaginatio tenet, & eò magis cùm imaginationi assensus uel dissensus accedit; ex quibus passiones & alterationes oriūtur; quarum qualitate corpus diuersimodè afficitur & alteratur. Idcirco Aristoteles in 2. Ethicorum hęc exprimens, inquit, Tria sunt in anima, passio, habitus & potentia; quòd autem imaginatio alterandi potestatem habeat, hinc patet: illæ enim animæ operationes nos alterare possunt, quæ magni spirituum motus ad diuersas corporis partes internè & externè causa sunt: sed sic ex imaginandi uirtute in nobis accidit, igitur ut notissimum præsupponendum id est. Quòd autem imaginatio externa corpora pertingere & afficere ualeat, creditu facile est: Nam cordis spiritus ea qua est qualitate affectus ad imaginationē defertur: qua quidem qualitate iuxta imaginātis uolūtatem & imperiū aer inficitur, & corrumpitur; à quo postea fascinatio cōtrahitur. Verùm spiritus imaginationi deseruiens, non secus ac rationale quoddā sidus, in quaslibet res, pro intensè imaginantis uoluntate, radios salutares uel perniciosos diffundit: hac uia, uehemēti desiderio

Fascinū ex artis & naturæ principijs emanat. Imaginatione præcipuè afficimur.

Animę tres virtutes.

Fascinū fit ex imaginatione.

Corpora externa alterātur imaginatione.

Spiritus imaginationis seruus.

siderio imaginationi addito, fascinās, amorem, odium, valetudinem, ægritudinem, vitam & interitū inferre potest Has vires nonnullorum hominum imaginationibus, à supercælestibus substantiis communicari atq; infundi, sunt qui arbitrentur; sub quarum superarū substantiarum benigno aspectu procreatę sunt; si intenta imaginatione Iouis, aut cuiusuis sideris speciē & ideā fascinantes concepissent. Huiusmodi fascinantium animam sic imaginantem, & in planetis pro rei inficiendæ qualitate desideria collocantē, duas continere res affirmant; formam videlicet qua corpus informatur & viuit; atq; planetę simulacrū & ideam: quo fit, vt omnis materia quę motui subdita est, animæ nō secus atq; ipsi inteligētię cælesti pareat. Nec admiratione dignū existimant, si corporea ab incorporeis fiant, vt pestes, febres, & alia mala per imaginationem duntaxat excitentur, quia quidquid homo concipit, illud homo est, eiusq; foràs emittēdi uim habet. Hoc pacto mulieres odio, uel cupiditate inflammatæ, vehementiori imaginatione grauidę, spiritum quendam emittunt, quo impressio ad cælum eleuatur, qua quidē impressione corpus quoddam ex menstruo assumptum est, quod è cęli conuexione refluens, cruces & alias turpes notas in hominum vestibus imprimit, quæ grauium & pestilentiū morborum deinde causa sunt, idque factu haud difficile est, si hominum conceptus volatiles & corporei reddantur, atque pro conceptuū qualitate ad sidera ferantur, vt libidinosus conceptus ad Venerem, inuidus ad Saturnum, sæuus ad Martem, & sic de reliquis, qui rursus in hominum perniciem & exitium, Planetarum virtute affecti, ac roborati descendunt. Quo factum est

A substantijs supercælestibus imaginatio adiuuatur.

Quicquid homo cōcipit, illud homo est.

Quo pacto celestia corpora ad fascinum cōcurrant.

vt nonnulli, non modò conceptus astrorum virtute infectos, in hominum calamitatem venire crederent; verumetiam sidera ipsa, vt Horatius ad Canidiam veneficam scribit:

Astra hominib. funesta.

Per atque libros carminum valentium
Refixa cælo deuocare sidera,
Canidla parce uocibus tandem sacris,
Citumque retro solue solue turbinem.

Versus Horatij ad Canidiam.

Hac uia miseros mortales innumera mala, morborumque diuersa genera inuadunt: hac imaginatione intermedia, res quandoque futuras præsagimus, quoniã spiritus imaginatiuæ virtuti seruiẽs, adeò acutus, subtilis, ac penetrãs efficitur, ut perquàm abditam, recõditam, & penitus ignotam rem, præuidere poßit. Quòd si quis imaginationi tot tantarumq; rerũ stupore dignarum, causam adscribere dubitauerit, uel ex eo ad credendum adduci poterit, quòd mulieres eius adspectus, ac sexus fœtus generant, cuius tempore concubitus simulacrum & imaginem animo conceperãt: unde nunc mas nunc fœmina oritur patris matrisve, aut aliam quampiam similitudinem referens. Mulier enim si quid animo concipit, aut in obuia queque oculos defigit, mentique imprimit, ea plerunque infans in externis corporis partibus signata refert: eodem pacto inter amplexus & suauia, si mulier oculos & cogitationẽ in uiri alicuius uultum dirigat, aut quemlibet al um prçsentem imaginetur; eius effigies in fœtu conspici solet: ea namque est imaginationis uis atque natura, ubi mulier aut quiuis alius fixiùs quid intuetur, ut simile quiddam conspectis emoliatur; adeo ut infanti uarias rerum formas induci contingat, ac næuos, lituras, uerrucasque imprimi, quę

Futura prædicimus p imaginationem.

Vis imaginationis in mulieris cõcubitu.

non

Partus mõstrosi ex imaginatione editi.

non facilè elui possunt. Sic nonnullæ mulieres, ex leporis obtutu infantes edunt, labello supremo bifurcatim dissecto. Eadem ratione nonnulli simis naribus generãtur, ore distorto, labris indecorè prominentibus, totoq; corporis habitu difformi; quòd mulier conceptus ac gestationis tempore oculis totaque mente ac cogitatione in monstrosas quasdam species defixa fuerit. Eaque de causa plures in homine, quàm in reliquis animantibus differentię, ac discrimina cernuntur. Nam cogitationũ uelocitas, animi celeritas, atque ingenij uarietas, multiformes notas imprimit; cùm cęteris animantibus animi ferè sint immobiles, stabilesque & in suo cuique genere similes. Eædem pręgnantes si alicuius cibi cupiditate accensæ corpus suum tetigerint, natum in ea corporis parte cibi illius nota signatum edunt, si eiusmodi cibus negatus, aut non illicò exhibitus eis fuerit. Eodẽ quoque pacto gallinæ pullos excludere putantur eius coloris, qui ipsis incubantibus obiectus fuit. Plutarchus ait quandam fœminam in feruore coitus oculos intendentem in oblatam Aethiopis imaginem, puerum nigrum ex candido homine genuisse: sic cętera animalia fœtus iuxta conceptionem generant. Philosophorum etenim scripta passim ostendunt uisa in conceptu, magnam in partu uim habere. Plinius lib. 7. ait, Similitudinem quidem in mente reputatio est, in qua credantur multa fortuita pollere, uisus, auditus, memoriaque, haustę imaginis sub ipso conceptu; cogitatio etiam utriuslibet animo subitò transuolans, effingere similitudinem, aut miscere existimatur. Ideoque plures in homine quàm in cæteris animantibus differentiæ, quoniam uelocitas cogitationum, animique celeritas, &

Natorũ signa ex matris appetitu.

Pulli gallinęexcludũtur coloris obiecti icubanti.

Mulier alba Æhiopem enixa.

Pli. de imaginatione ĩ cõceptu opinio.

Vnde humanarũ imaginũ uarietas.

ingenij uarietas, multiformes notas imprimit: cùm in cæteris animantibus immobiles sint animi, & similes omnibus singulisque in suo quæque genere. Vnde coniugibus præcipitur, ut elegantes circa genialem lectum imagines habeant. Vrbs est in Brabantia Buscoducis, in qua, ut in alijs eiusdem Prouinciæ, stato anni die quo maximum urbis templum Deo dicatum ferunt, publicè supplicatur, ludique uarij superis exhibentur. Sunt qui tunc diuorũ personas induant, sunt qui dæmonum: ex his unus cùm uisa puella exarsisset, domum saltitando se recepit, & correptam (ut erat personatus) uxorẽ suam, eam in lectum coniecit; asserens se ex ea dæmoniũ cudere uelle: concubuit, concepit mulier, & peperit infantem dæmoni similem; qui simul atque editus est, saltitare cœpit. Hinc Iacob gregem suum augere didicit, ut sacra testatur historia, uirgas amygdalinas uarijs coloribus incisas apud canales disponens, ad quos bibendi causa oues appellebant, ubi coeuntes illas conspicerent. Quid quòd ægrotus ex opinione quam de Medico, aut de re quapiam imbibit, salutem sibi parare potest? Idem, frigus imaginando, frigore corripitur; sic cùm res acres mente concipimus, dentes stupescunt: cùm res rubras, sanguis è naribus effluit. Quæ omnia fieri nullo modo possent, si imaginatio alterandi uirtute prædita non esset.

Ludi Brabantiæ.

Partus dæmoni similis ex viri cõcubitu.

Ars Iacob i grege augendo.

Ægroti de medico opinio ad cõualescẽdũ confert.

De uisu qui Fascini diffinitionem ingreditur. Cap. III.

SIcut in corpore humano sublimiorem & eminentiorem locum capiti natura dedit, ac tanquam arcẽ constituit, cæteris membris omnibus pro basi suppositis

Caput humani corporis arx.

Rex sensuũ visus, & animæ familiarissimus.

tis; sic inter cæteros sensus uisum, ueluti Regem omnium editissimum, & tanquam in arce collocatum esse uoluit, ipsumque animæ familiarissimum fecit, quod ex communi utriusque affectu colligi potest: siquidem animi dolorem mœstitia suffusi oculi non dissimulant: contrà gaudente animo hilares subrident, metu inualescente turbantur, animo ira flagrante exasperantur & rubescunt: in cogitatione, ac cura quiescunt, eodem obtutu hærentes, & quasi cum mente simul intenti, sicut in animi deliquio simul luxantur, & remittuntur. Iidem accedente amico, beneuolum affectum, sereno tranquilloque intuitu nuntiant. Quoties uerò inimicum conspiciunt, molestiam, indignationemque præseferunt, in audacia prosiliunt, in reuerentia subsident, in amore blandiuntur, in odio efferantur, & (ut paucis absoluam) ad animi affectum uisus compositus est, eius imaginem prorsus exprimens, naturamque inuisibilem perinde ac in speculo referens. Horum oculorum gratia, lucem rerum omnium præstantissimam, Deus Opt. Max. creauit, cuius lucis natura duplex est; altera ex hoc igne corruptibili fulgens, eaque mortalis & extinguibilis: altera perennis & immortalis è cælo ad nos delata, à sideribus singulis, tanquam à perenni fonte defluens; utraque familiaris & gratissima oculis; quippe qui per eam ad uidendum habiles & idonei reddũtur. Vtque Deus, quanti oculos faceret, ueluti animi nuntios, ac fidos ministros nos doceret, (nam æquè oculi aspectabili luce delectantur, atque animus inuisibili claritate ac ueritate fruitur) Solis, Lunæ, cæterorumq; tũ erraticorum, tum fixorum syderum splendorem in oculorũ gratiam & mysterium formauit, ut ab ipsis uideretur,

Animi affectuũ indices oculi.

Lux oculorum causa creata.

Natura lucis duplex

Planetæ & sydera in oculorũ gratiã formata.

retur,

retur: quo munere omnium nobilißimo adiuti, quidquid in orbe continetur spectant. Nec temerè oculos non animi tantùm fidissimos duces, sed alterũ animum nuncupare audemus; nã hos cùm osculamur, animum ipsum attingere uidemur. Et quemadmodum animus longißimè progreditur, uagatur ac spatiatur; ita oculi à terra uno ictu cælum pertingunt, mundique fines, ortum & Occasum, Septentrionem ac Meridiem collustrantes, ad eorum contemplationem mentem attrahunt. Cùm igitur gaudente animo, oculi hilariter subrideant, & eodem mærente, ipsi quoque hebetentur ac languescant, grauiori premente molestia lacrymas exprimãt, per iram tumescant, in mansuetudine remittantur, in contemplatione hæreant, denique omnibus animi affectibus statim respondeant, uarijs mutationibus, naturalem quandam animi cognationem declarantes clarum relinquitur, quòd si fascinum per imaginationem quæ est animi uis, fiat, ut diximus, per oculos quoque, qui animi ministri & affines sunt, fieri potest. Ex ipsis radij quidam emittuntur, qui ueluti iacula quædam, ac sagittæ ad effascinandorum corda deferuntur, totumque corpus inficiunt, atque ita nulla interposita mora arbores, segetes, bruta animalia, & homines perniciosa qualitate inficiunt, & ad interitum deducunt; quam effascinãdi uim mulieres, & inter eas aniculæ maximè habẽt; quę uisu nocere ubique compertæ sunt, & illę præsertim quę uel in singulis oculis geminam pupillam habent, uel in altero equi effigiem. ut de quibusdam Pontum incolentibus scriptum legimus. Atque huiusmodi mulieres, alia dote sunt à natura donatæ, ut mergi nequeant, ne ueste quidem degrauatę. Nec mirari debemus

Oculus est alter animus.

Oculi respõdent affectibus animi.

Quemadmodum ꝑ visum Fascinũ fiat.

Aniculæ ad Fascinãdum potissimũ aptę.

Gemina in oculo pupilla uim fascinandi maximam denotat.

Homo μικρόκοσμος. *mus humanos oculos tantam uim poßidere; est enim homo paruus quidam mundus, in quo omnia unita reperiuntur, quæ sparsim in toto terrarum Orbe seminata cernuntur: quod profectò dici non posset, si oculorum aciē ea uirtute insignitam non haberet, qua etiam bruta animalia prædita sunt; ueluti de Basilisco legitur; qui uenenosis radijs ex oculis emissis, quoscunque intuetur interficit.*

Galli obtutus leoni timorē incutit. *Gallorum quoque oculis semina quædam, ac spiritus ineße ferunt, quibus leonibus dolor ac mæror incredibilis incutitur: quam sententiam hisce uersibus explicauit Lucretius.*

Lucretij uersus.

Nimirū quia sunt gallorū in corpore quædā
Semina: quæ cùm sint oculis immissa leonū,
Pupillas interfodiunt, acremque dolorem
Præbent, ut nequeant contrà durare feroces.

Lupus quādo voci noxius. Testudines oculis oua excutiunt. Mulieres mēstruatæ specula inficiunt. Amātium ardor ex mutuo conspectu.

Nec dißimilem naturam lupi habere perhibentur; qui si priores obuium quempiam conspexerint, illicò ei vocem adimunt, ut ne sonum quidem emittere poßit, tantum abest vt uociferari aut fari queat. Testudines etiā oua fouere, & fœtus excutere oculis dicuntur. Si uerò ea quæ de oculorū radijs diximus, alicui creditu difficilia uidentur, mēstruatas mulieres animaduertat, quæ specula intuitæ ea sanguinea nube maculant, tantā uim oculis natura indidit. Amātes præterea sese mutuò aspicientes, adeò ignibus quibusdam torquentur, vt uiuere nequeant, nisi ipsorum insana libido, ac desideria compleātur; & usque adeo amoris, ne dicā furoris, ictibus cor patet, ut si alter eorum rem amatam in amore sibi non respondere senserit, angatur, crucietur, & lacrymis

ac mærore cõficiatur. Si quidem uisus ob innatum suæ naturæ motum cum spiritu eiaculante quandam uim igneam, & mirabilem diffundit, ita ut hoc auctore permulta & agat & patiatur homo, ipsis etiã tenebris inuitis; ut de Alexandro legitur, qui per tenebras ęquè, ac per lucẽ cernebat. Voluptatibus itaq; uisus capitur, ac rerum uisarũ amore allicitur, ad eos perueniẽs, quos perpulchros & elegantes perspexerit: ideo demirari quàm maximè eos quispiam posset, qui hominem uisu assentire, ac molestia affici putant, & non item agere & nocere. Etenim mutuus eorum intuitus, qui venustate & pulchritudine antecellunt, quodq́ue ex oculis profluit & emanat, siue lumen, siue profluuium quoddam sit, amantes tabe conficit, permista dolori uoluptate, tantusq́ue ardor internus ex oculis egreditur, ut multo acriùs uisus quàm tactus uel auditus lædat. Quid? Nonne stupendum est, quod de quadam aue, quæ Icterus uel Galgulus dicitur? quæ eam uidetur sortita naturam, ut ictericium morbum, quo homines laborant, ad se attrahat, ipsumq́ue per oculos effusum hauriat. Homo uerò qui tali morbo torquebatur, sic ab alite uisus sanatur, & ales moritur. Atq; ut reliquos morbos taceam, lippitudinis morbus solo cõtuitu contrahitur: tam perniciosam uim oculi habent, ut in alios proprium uitium eiaculentur, idq́ue ea ratione fieri posse duco: nam animus malè affectus, suum quoque corpus malè habet. Quod uel inde colligitur, quia rei ueneræ cogitatio & contemplatio genitales partes titillat & erigit. Canum etiam furor in ijs certaminibus, quę cum feris ineunt, uisus aciem perstringit, sæpius etiam penitus excæcat: sic cùm animus aliquo mærore, aut uitio affectus est,

Alexander æquè in tenebris ac ꝑ lucem cernebat.

Galgalus ictericium morbũ attrahit.

Lippitudo seu ὀφθαλμία, ex cótuitu nascitur.

Animi & corporis mutua affectio.

colo-

colores corporis immutat: si inuidia tenetur, pallore & croceo quodam colore totum corpus inficit. Vnde quotiescunque inuidia tabescentes liuidos in aliquem oculos desigunt, animi simul uenenum uibrant, & quasi iaculis uirulentis inuisum confodiunt & uulnerant. Illud uerò prętermittendum non est, quòd nonnulli uernas, familiaresq; nonnunquam patres ipsos à quibus omnis inuidiæ suspicio abest, nihilominus oculum effascinantem habere arbitrati sunt; & ideò matres, liberos, quos in lucem ediderunt, illis non ostendunt, nisi post magnum tēporis interuallum. Plutarchus homines quosdam suo intuitu & punctionibus, multis negotium exhibere affirmat, quòd eorum scilicet habitus, humoris imbecillitatisque causa in peiorem conditionem tendat, qui autem solido concretiorique constant corpore, uicium hoc non sentiunt. Quapropter non temerè in fascini diffinitione uisus positus est; quia per eum maximè fascinatio fit. Cuius quidem rei nostrę tempestatis aniculę non paucæ fidem fasciunt; quarum impuritate multi pueri effascinati grauißimum discrimen adeunt: sæpè etiam acerbam subeunt mortem, pecudes partu & lacte priuantur, equi macrescunt & emoriuntur, segetes sine fructu metuntur, arbores arescunt, ac deniq; omnia peßum ire uidentur. Quæ res eos non latet, qui cum Ponticis hominibus commercium habent, illinc empta mancipia statim abducentes. Pontici enim homines adeo fascinantes oculos habent, ut nulli rei parcant, quin illam omni perfectione priuent, & in maximum malum conijciant.

Ab ipsis quoque parētibus Fascinum eiaculatur.

Ex quorundā intuitu pūctiones infligi.

Vetulæ & hodie pueros, pecudes & segetes inficiunt.

Ponticorū praua consuetudo Fascinandi.

De tactu Fascinum efficiente. Cap. IIII.

TActus omnium sensuum præcipuus, & præstantissimus est, quipppe qui singulis animantibus inest, ideoque omnium maximè necessarius habetur; quia animalia absque eo nec esse possunt, nec reperiuntur; atque vt Aristoteles docet, sine reliquis sensibus viuere cernuntur, at sine tactu minimè. Illius organum neruus quidam esse reperitur, ad retis similitudinem & imaginem formatus, per vniuersum corpus extensus, cute coopertus, & carni immersus à corde originem trahens. Cuius obiectum sunt quatuor qualitates primæ, vt calidum, humidum, frigidum & siccum. Verùm tactus hac de causa fascinum inferre dicitur, quoniam eius vsus duplex est: modò per arteriæ eleuationem, modò per eiusdem submissionem. Cumq; arteria explicatur ac patescit, spiritus foràs mira celeritate emittuntur, ac quodam imperceptibili modo, ad rem effascinandam deferuntur. Et quia arteria à corde oritur, spiritus quoq; inde exeuntes, cordis qualitatem infectā, ac uitiatam retinēt, ac iuxta eius prauitatem, omnia quę attingūt, inficiūt ac fascinant, non secus atq; imaginatione, & oculorum radijs fieri ostendimus. Quandoque quatuor qualitates, quę tactus obiectum sunt, à spiritibus ab arteria emissis inficiuntur, quæ postea sic infectæ, quamlibet rem sibi obiectam fascinant ac pessundant; idq; aniculæ in hoc scelere exercitatæ animaduertentes, rem effascinandam aliqua perniciosa re tangere festinant. Cæterùm si cum tactu, herbę aut uerba iungantur, celeriùs fascinum perfici putant; ut Poeta dixit,

Nulla sunt animalia tactus expertia.

Tactus organum.

Obiecta tactus.

Duplex vsus tactus.

Modus fascinādi per tactum.

Ouid. de fascini mistione.

Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ,
Miscueruntq; herbas, & non innoxia uerba,
Auxilium uenit, ac mēbris agit atra uenena.

Quòd si ea quæ de hoc fascini genere circumferuntur, creditu difficilia uideantur, unica marina torpedo ad id credendum nos inducere potest, quę etiamsi eminus hasta, uirgavè tangatur, nihilominus lacertos quamuis præualidos torpescere cogit, & quamlibet ueloces pedes alligat; ut fateri necesse sit, uim aliquam ei inesse, cuius uirtute mēbra afficiat: homines uerò eiusmodi stupore correpti, quasi sine sensu & uiribus sibi uidētur: ut de quodā serpente Auicenna narrat, quem cùm miles lancea interfecisset, ex lanceæ contactu totum eius corpus mortificatum fuit. Eodem pacto effascinatis accidere consueuit, qui simul atque ab aliqua anicula prætacti sunt, omnibus viribus se prætactos esse cognoscunt. Hyęnæ quoque umbræ contactu canes obmutescunt. Ferunt etiam Hyænam, quæ uel hominem, uel canem conspexerit dormiētem, suum protendere corpus, & si dormientis magnitudinem excedat, dementiam ei incutere, eiusq; manus, ne resistere conetur, depascere: si uerò se breuiori corpore impariq; proceritate uideat, pernici cursu, celerrimisq; pedibus fugam arripere. Quòd si forsitam sæuiens in te proruat, obsistendum prorsus, ne à dextris inuadat, quoniam stuporem adfert, cui uestigio hærens occurrere non ualebis. Si ad læuam detorserit, intrepidus irruito; sic eam hoc impetu torporem confessam enecabis. Sic serpens quernis frōdibus contacta moritur, & in uestigio gressus hæret, iniecta Ibidis penna; & Vipera arundine percussa torpet, ac fagi ramulo contacta confestim obstupet. Simili

Torpedinis vis.

Historia Auicennę de serpētis miro quodam veneno.

Hyænæ vis in canes & homines dormiētes.

Actus aduersus Hyęnam.

Serpens Ibidis pēna sistitur.

Viperarū dine tacta stupet.

mili quoque modo platani folia uespertiliones abigũt; quare non uerisimile nobis id uidebitur, quod de fascino per humanum tactum eiaculato circumfertur? Sic Eryngium ore Capræ sumptum totum sistit gregem. Quid Echeneis Remora nuncupata, paruus admodum pisciculus sic dictus, quòd naues teneat ac remoretur? Is si semel naui aquas sulcanti adhæserit, ruant licet uẽti, sæuiant procellæ, omnium furori imperat, uentorum impetus frænat, uniuersique penè mundi rabiem domat, ac nauigium ipsum inuitis fluctibus, ac Neptuno reluctante sistit. Vnde Lucanus,

Eryngio grex remoratur. Remorę uirtus.

Non puppim retinens Euro tendẽte rudẽtes
In mediis Echeneis aquis.

Lucani versus.

In Aethiopia quorundam sudorẽ tabem contractis corporibus adferre aiunt. Quid de arcano illo mysterio dicemus, quo ferrum à magnete attrahitur? cuius lapidis tanta uirtus est, ut si bracteam ferream mediam suspẽdas, cuius altera cuspis magneti semel adhæserit, ea sua pte postea natura ad utrumque polum semper conuertatur. Quo faciliùs credendum est, ex hominum contactu fascinũ eiaculari posse. Ad cuius rei cõfirmationẽ, illud de tauro adduci potest, quem quamuis furentem, ficui alligatum statim mansuescere ferunt. Quis putaret è cæpe & allio lacrymas nobis uel è longinquo elici? è pipere sternutamentum? Et quemadmodum cùm Aquilarũ pẽnis mistę aliarum alitum pennę absumũtur; quod minimè fit, si cũ alijs teneris ac mollibus etiã putrescentibus misceantur; sic nihil prohibet alicuius hominis salubrem esse tactum, alicuius uerò noxium: sicut de marino lepore legitur, qui uenenum est alijs in potu, aut in cibo datus, alijs uisus solùm, alijs tactus: si-

Magnetis arcana uirtus.

Taurus ficui alligatus mãsuescit.

Allium & cæpe lacrymas excutiunt.

Aquilæ pẽnæ alias absumunt.

Variæ qualitates leporis marini.

quidem grauidę mulieres, si ex eo genere fœminam aspexerint, statim nausea, & redūdatione stomachi laborant; ac deinde abortum faciunt. Eiusdē speciei mas sale induratus si in modum armillarum brachijs adiungatur, nauseam abigit, ut Plinius fatetur. Interfecti quoq; hominis cadauer recens si coram interfectore cōstituatur, sanguinē eijcere fama est. In Hellesponto circa Parium homines quosdam fuisse traditur Ophiogenes dictos, qui serpentum ictibus solo contactu mederentur, manuq; admota illicò uenenum extraherent. Huius quoque naturæ in Africa gens Psyllorum fuiße fertur, quorum corporibus uirus ingenitū fuit, serpentibus admodum exitiale, adeò ut odore solùm eas sopirent: atque eadem uis Marsorum genti inest. Cur igitur non credendum est, nōnullis hominibus uim inesse, qui solo tactu fascinent, & perniciem afferant? Et præsertim cùm Ouid. solo uestium tactu, amorē mulierū allici posse dicat. Si ea quæ in terræ uisceribus, & in eiusdē superficie procreantur, ut mineralia, lapides, herbæ, plantæ, & animalia solo attactu, tot incredibiles effectus dare compertum est; quare eodem modo humanę naturæ earundem rerum efficiendarum uirtus non inerit? In sonis quoque nonnihil secreti miraculi ineße uidetur: nam icta fides unisonam suam impellit, tinnitumque ab ea elicit. Præterea si chordę agninæ cum chordis lupinis iungantur, non modò nullum concentum reddent, sed etiam agninę à lupinis frangentur. In terræ satis, braßica si secus rutam seratur, illicò arescit, fungi à terra auulsi, odore solùm homines perdunt. Serpentes sibilo tantùm magna distantia absentes enecant. Ergo non mirum uideri debet, si quorundam

Cadauer humanum corā interfectore sāguinem emittit. Ophiogenū, Psyllorū & Marsorum virtus contra serpentū morsus.

Ouidij sententia de amoris contactu.

Pulsata fides vnisonam mouet.

Agnorum chordæ cū lupinis minimè conueniunt

Brassica apud rutam sata arescit.

dam

dam hominum tactus effascinandi ui præditus sit.

De vocis natura quæ Fascini causa existit. Cap. V.

ANtequam de fascino per uocem inflicto quidquam determinemus, animaduertendum est, ut Ammonius notat, triplex orationis genus reperiri, in intellectu scilicet, in uoce, & in scripto. Vox autem est sonus, qui ab animalis ore egreditur, cum imaginatione aliquid significandi; quæ quidem vox duobus spectatur modis: altero ut articulata, & syllabarum prolatione distincta est, ac scribi potest; ueluti hęc uox, ueniat, ruat, & reliqua huiusmodi: altero uerò quatenus inarticulata, & syllabis explicata non est; qualis est canum latratus, serpentum sibilus, & ouis balatus. Vocum articulatarum, quędam significandi ui prædita sunt, ut timor: quædam omni significatione carent, ut blitiri: & alia quę homines casu & inaniter proferre solent. Duplex in uocibus significationis modus reperitur, naturalis unus, quo animi affectus inter nos exprimimus: iuxta quem modum Aristoteles in Politicis dixit, Vox est molesti & iucundi significatio: artificialis alter, & hic profectò modus non nisi humanis uocibus inesse conspicitur: qua quidem uia, nomina, uerba, orationes, & quæcunque locutiones, uoces dicuntur, quæ non modo animi sensus, sed res sensibus cognitas & manifestas demonstrant. Quando uocem fascini causam dicimus, non modò de articulata, & ad hominum placitum significatiua intelligimus, uerùm de omni uocis loquimur modo, ut ex hominum ore effertur. Vtque clarius fiat, qua uia uox tot incredibiles effectus efficere di-

Genus orationis triplex. Quid vox & quotuplex eius significatio.

Vocis differentiæ.

Arist. locus in Politicis

re dicatur, non est ignorandum, quòd à faucibus fistula quædam procedit introrsum ad pulmonē tendens, qua nō cibum nec potum sumimus, sed aerem per spirationē in cordis refrigeriū trahimus: cùm igitur aer à corde remittitur, in larynge pulmonis actione reprimitur, ac per eandem arteriam missus repercutitur, fitque vox, ad quam articulandā, & syllabis distinguendā, palatum, lingua, dentes & labia concurrunt. At aer à corde repercussus, cordis qualitate afficitur, qui cùm vocis naturam ingreditur, quocunque dirigitur, omnia illa perficiendi uirtutem & potestatem habet, quæ in corde concepta erant. Nonnulli uocibus ac uerbis uim inesse credunt ex persuasione, quā de re ac voce qualibet sibi profuturam confidunt. Dicebat enim Plato: quando humana mens rem aliquam amat, quæ naturæ uia prodesse non potest, & nihilominus sibi profuturam persuadet, ex sola mentis intētione corpus res illas iuuat. Cuius quidem sententiæ rationem afferunt; quia corporis habitudo animæ uirtutem sequitur; quo fit, vt rem ita se habere oporteat, veluti concepta sit. Vnde Socrates ait, Incātationes uerba sunt decipiētia rationes animas, secundum spei inceptionem, aut secundum timoris incisionem. Galenus quoq; inquit, Sunt quidam natura læti, qui qnando ægrotāt, si eos sanos futuros confirmet medicus, conualescunt; quorum spes sanitatis est causa, & medicus si animæ desiderium incantatione, aut alicuius rei ad collum appensione adiuuerit, citiùs ad valetudinem perducet. Quidam uoces ex verborum coniunctione, sicut res materiales, vires adipisci existimant, quā rē ex præsenti siderum positione, aut ex hominis genitura, aut ex singulari animæ potestate, prouenire

Organa vocis & formatio.

Platonis sētētia de mētis intētione.

Socratis de incātatiōe sententia.

Ægrotātes opinio plurimum iuuat.

uenire arbitrantur. Nec referre aiunt, quænã uerba ab effascinante proferãtur: & an laudibus uel maledictis rem effascinandam prosequatur, an affirmatiuè uel negatiuè, barbarône an diserto sermone loquatur, quocunque enim modo effascinans obmurmuret, ac uocem emittat, dummodò ad rem quampiam effascinandam vehemens desiderium habeat, res illa nulla interposita mora, inficitur; iuxta effascinantis uoluntatem; eamq; fascinum ueluti cordis nuntius ac fidus minister nõ excedit: hinc fieri potuit, ut uerbis quibusdam prolatis ex anicularum uel prauorum hominum ore, pueri aliqui ægrotauerint, alij interierint, grauidæ mulieres abortũ fecerint, nonnulli homines macie confecti fuerint, equi cõciderint, oues lacte destitutæ fuerint; Circe carminũ incãtatione uarias imaginum facies mentita fuerit, & alia quamplurima acciderint, quæ singula recensere nimis longum foret. Nonnulli uerborum ui uarias brutorum animalium & aliarũ rerum formas induerunt, alij ad remotissima loca paruo temporis spatio aduolarũt. Quod inde nobis persuaderi debet, quia uerbis bruta animalia retardantur & capiuntur; à segetibus, uineis & uiridarijs, mures, locustæ, & alia nociua animalia uerbis ac scriptis, vel ex improuiso prolatis characteribus arcentur, serpentes sistuntur, qui incantantiũ uerba timentes, alteram aurem terra, alterã cauda obdũt, iuxta illud Psal. Sicut Aspidis surdæ, & obturãtis aures suas, quæ non exaudiet uocem incantantiũ: & ægroti pristinam ualetudinẽ acquirunt. Quid quòd Magus quidã in tauri auriculã uerbis prolatis, Taurũ ita prostrauit, ut mortuus uideretur? hoc etiã admotus panis furto inueniendo conceptis litteris inscriptus corrobo-

Verba quo quo modo prolata effascinare possunt.

Circe incãtatrix.

Animal nociuũ verbis abigi põt.

Aspidis natura contra ĩcãtatores.

Magus taurum uerbis prostrauit. Nonnullorũ furti inueniẽdi superstitio.

rat; atq; illud, quod carmine prolato, quidam super acutissimum gladium, & candẽtes prunas ambulant, digitoque vni insistentes, alterumque hominem, aut pondus grauißimum in altum subleuant, equos ac tauros furibundos verbis domant, canes feroces sedant, & à latratu desistere cogunt. Pollutionem in somnis cum muliere quam adamant moliuntur, & earum quoque rerum repręsentationem imaginantes præuidẽt, vt eis libet, & futuras illas præscire satagũt. His vermes interficiuntur, sanguis vndecumq; fluens sistitur. Quocirca dixit Homerus profluuiũ sanguinis vulnerato fœmini Vlyxem inhibuisse carmine. Omnes morbi ab humano corpore expelluntur, vulnera curantur, & sagittæ oßibus fixæ, mira facilitate extrahũtur: nec desunt qui dicant, se homines cane, vel serpente morsos, aut quouis veneno infectos, etiam quantumcũq; absentes, sanos & incolumes reddere posse, idq; nulla alia re adhibita, nisi quadã verborum prolatione; Illud verò maiorem admirationem affert, quòd alienæ cuilibet personæ remedium adhibent, & absens sanatur, alij ipsomet gladio, quo quis vulneratus est eum medentur, vulnusq; coalescere ferũt; & quod stupore nõ admiratione tantùm dignum est, cùm verba proferũtur, si gladium sursum uersus digitis fricant, vulneratum nullum sentire dolorem; at si deorsum, incredibili dolore affici dicunt: & ut hanc materiam in pauca conferam, cum Plinio dicẽdum est, uerborum tria esse genera, alia ad impetrantem, alia ad depellentem, alia ad commentantem pertinent. Impetrantis verba sunt illa, quibus à suprema natura aliquid orando obtinemus, quo quidem modo, Tusciæ Vestalis precatio extitit; quę aquam cribro eiusmodi

Pollutio carminibus procuratur.

Vermes carmine necãtur & sanguis sistitur.

Carmina morbos abigunt.

Vulnus per medicatum gladiũ coalescere.

Verborum tria genera.

Oratio Tusciæ Vestalis.

modi precatione tulit. Aliæ etiam Vestales mancipia fugitiua nondum egressa vrbe, in loco precatione retinuerunt. Demùm omnia verba amatoria, sic esse putant; quorum Theocritus, Catullus & Virgilius meminerunt. Vnde Horatius dicebat. Verba amatoria fascini vim habent.

Quantũ carminibus, quæ versant atq; venenis, Horatij locus.
Humanos animos, has nullo perdere possum,
Nec prohibere modo.

Huc etiam parentũ execrationes in filios spectant; quorum non paucos in calamitosum funestumq; exitum, ob diras huiusmodi imprecationes deuenisse audiuimus. Ideò Plato nihil parentis imprecatione filijs periculosius censet. Depulsoris verba sunt, quibus in depellendis & auerruncãdis nociuis & molestis utimur, quo modo luxatis membris carmen auxiliari Cato prodidit, & Marcus Varro podagris. Cęsarem dictatorem post unũ ancipitẽ uehiculi casum ferunt semper vt primùm in curru cõsedisset, carmine ter repetito, securitatem itinerum stipulari solitum: sic olim primum anni diem lætis precationibus inuicem faustum ominabantur, fascinationibus etiam adoramento peculiari occurrebant. Quibusdam etiam carminibus contra grandines, morborumq; genera, & contra cõbustiones utebantur. Annalium memoria proditum est, quibus verbis antiqui fulmina arcerent, uel impetrarẽt. Commentationis uerbis aliquid futurũ interpretabãtur, et ideò impares numeros ad omnia uehementiores credebant, sternutantes faustis uerbis salutabant, absentes auriũ tinnitu de se sermones præsentiebãt, tãtam uerbis uim olim adscribebant. Attalũ affirmare tradunt, ut si quis Scorpione uiso dicat Bud, eum illicò cohibeat ne ictus

Parẽtum ĩ filios execratiões pniciosæ.

Cæsar in ingressu vehiculi carmẽ proferebat

Antiquorũ mos primo die anni inter se consalutandi.

Cæli tẽpestates carmine procuratæ & auersę. Impar numerus efficax. Attali opinio ad scorpionẽ cohĩbendum.

suos

suos uibret. Marcus Seruilius Nonianus, qui lippitudinis morbum uehementer metuebat, priusquàm lippitudinē ipse nominaret, aliusve sibi prædiceret, duabus literis Grecis Α. & Π. chartam inscriptam, linoq; circumligatam collo subuertebat, qua obseruatione, morbum illum se euitare credens semper uoti compos fuit: sic numeri sonori incredibiles effectus in nobis pariūt. Illud quoq; huc spectat, quòd cùm in Tarpeio fodientes delubro fundamenta, caput humanum inuenissent, à Senatu ob id legatis missis, Hetruriæ celeberrimus uates Olenus Calenus præclarum id fortunatumq; cernens, interrogatione in suam gentem transferre tentauit, ante se priùs templi imagine, scipione quodam determinata: Hoc ergo dicitis Romani, hic templū Iouis Opt. Max. futurum est? Hic caput inuenimus? Constantissima Annalium affirmatione, transiturum fuisse fatum in Hetruriam, ni præmoniti à filio vatis, legati Romani respondissent, non planè hic sed Romæ inuentum caput dicimus. Et id quod de Cumino fertur, quòd cùm maledictis & probris satum est, lætiùs nascitur. Quin & Berosus Annianus ait, Cùm Noe ebrius iaceret, Cham illius uirilia comprehendisse, eique vt illuderet, nescio quid carminis magici submurmurantem protulisse, sterilemque eum perinde ac castratum effecisse. Voces igitur & uerba, siue ob aerē à corde respiratū, siue ex spe & persuasione, siue ex uerborum coniunctione, ex siderū uirtute, ex hominū genituris uel demùm ex animi potestate, uirtutem habeant, atque ad impetrandum, depellendum & commentandum concepta sint, perspicuum est, incredibilem uirtutem obtinere, ac fascinationis potissimam causam existere.

Noniani amuletū cōtra lippitudinem.

Numeri sonori uis.

Caleni subdola interrogatio.

Romanorū sagax responsio.

Cuminum maledictis satū latius coalescit.

Berosi historia de Cham.

Anacephalęosis totius capitis

De Cæli obſeruatione, quæ ad faſcinandum concurrit. Cap. VI.

Conſueuerunt effaſcinantes non modò imaginatione, uiſu, tactu, & uoce faſcinum perficere, ſed cælum ipſum, ac ſidera ad illud efficaciùs & ualidiùs patrandum adhibere, omneſque hominum affectus ad ſeptem, iuxta numerum ſeptem planetarum reducunt, libidinem Veneri adſcribentes, triſtitiam Saturno, alacritatem Ioui, bella Marti, præſidentiam Soli, ſolertiam & aſtutiam Mercurio, inſtabilitatem Lunæ. Corpus quoque humanum ad duodecim ſignorum ſimilitudinem in duodecim partes diuidunt, Arietem capiti preficientes, Taurum collo, ut Mallius Poeta ad Auguſtum Cæſarem ſcribens, notat his uerſibus.

Faſcinãtes cælũ adhibent.

Humani affectus à planetis gubernantur.

Artus humani duodecim ſignis ſubijciuntur.

Signa hæc præcipuas in toto corpore uires,
Exercent: Aries caput eſt ante oĩa princeps:
Sortitur quoque ſenſus & pulcherrima colla
Taurus: & in Geminis æquali brachia ſorte
Scribuntur connexa humeris: pectusq; locatũ
Sub Cãcro eſt, laterũ regnũ, ſcapulæq; Leonis:
Virginis in propriam deſcendunt ilia ſortem:
Libra regit clunes: & Scorpius ĩguine gaudet:
Cẽtauro femora accedũt, Capricornus utriſq;
Imperat in genibus: crurũ fundentis Aquari,
Arbitriũ eſt: Piſceſq; pedũ ſibi iura repoſcunt.

Mallij verſus de mẽbris hominum.

Vnde quando faſcinatores in aliqua corporis parte, aut circa aliquam affectionem, faſcino lædere ſatagunt, illud in hora ſigni, & planetę rei efficiendæ conuenienti efficere conantur. Ideò faſcinandi modus iuxta ſignorum

rum

rum & planetarum disp ositionē regulatur. Et actionē *subsidere rei fascinandæ prædominante incipiunt: eoq́; magis id consequi poßunt, quia unicuique indiuiduo aliquis stellarum influxus indutus est, quem fascinantes naturę instinctu cognoscunt; eumq́ue sub illarum stellarum dominio augere, & minuere poßunt. Aiunt insuper quædam eße fortunata, quædam infortunata sidera, & pro fascini inferendi qualitate, sidera se eligere poße aßeuerant. Et quoniam homo ex duplici natura cōpositus est, ex anima scilicet & corpore, in utranque sidera, & cælorū uires, fato quodā agere poße non dubitant. Quo fit ut homines, si fascinatores aut in anima, aut in corpore lædere cupiunt, nullo modo ab huiusmodi fascino sese defendere ualeant. Nec desunt qui cælum animal sensibus præditum eße dicant, quòd effascinantium uota, & preces exaudiat, quod hisce rationibus probant. Omnis nouus effectus ab agente per cognitionem emanans, noua indiget causa, quę continuò in sua cognitione innouetur; at cęli effectus est nouus, igitur à uoluntate noua ob cognitionem innouatam proficiscitur: hæc autem cognitio non nisi ab imaginandi ui oritur, quæ quia animali sensu prædito adscribitur, cęlum etiam eadem ratione animal esse dicendum est. Pręterea, quælibet particularis actio ab eo qui cognoscit fluens à sentiendi uirtute efficitur, quia sensus ad res particulares, intellectus uerò ad uniuersales dirigitur, ut Aristoteles docet: sed cæli motus particularis effectus est, à cæli anima cognoscente manans, ergo cùm eiusmodi anima non nisi sensitiua eße queat, uerè animal cęlū est, quòd fascinantiū uoces, singultus, suspiria, & quęlibet uota audiat & perficiat.* Et hinc nonnulli

In vnumquodq; indiuiduū aliqua stella influit.

Astrorū alia! fortunata alia non.

Anima & corpore homo constat.

Cælū sensu præditū.

Primū argumentū, cælum sensus non esse expers probans.

Alterū argumentū.

addu-

adducti fuerũt, vt crederẽt sidera è cælo ad terras deripi posse, cùm ad nutum fascinatoribus obedirent, vt suprà tetigimus, quod Horatius in Canidiam uenesicam his uersibus explicat;

Quæ sidera excantata uoce Thessala
Lunamque cælo deripit.

Horatij de venefica versus.

At Græcorum Reges cùm aliquod negotium obtinere uolebant, caput Draconis, in medio cœli cum Ioue ponebant, aut aspectum ab eo figura amicabili, & Lunam coniunctam Ioui, aut recedentẽ ab ipso, & coniunctionem ad non ascendentis petentem, tuncque ipsorũ petitionem exaudiri dicebant. Almansor quoq; sic ait: Si quis capite in medio cœli existente, aliquid postulauerit, nõ præteribit, quin breuiter quæsitum adipiscatur. Et hinc metallorum laminæ originem sumpserũt, quoniam unicuique metalli speciei, planetam præsidem, ac dominum præficiunt, ut auro Solem, argento Lunam, Saturnum plumbo, stanno Iouem, & sic de reliquis, & cùm aliquid perficiendi desiderio tenentur, metallum planetæ conueniens, sub eiusdem planetæ dominio sumũt, & quosdam characteres, in metalli lamina insculpunt, quam ei corporis parti alligatam gestant, cui planeta ille aut eius signum dominatur, & sic quidquid cupiunt, consequuntur. Prætermitto id quod cùm de imaginatione loqueremur, diximus, quòd quidam, animi nostri sensus uolatiles reddi posse affirmant, eosq; ad quem uelimus planetam dirigi, iuxta desiderij nostri qualitatem: hoc est, qui crudeles sunt, ad Martem; qui inuidi, ad Saturnum: ij uerò planetarum qualitate infecti, rursus in eorum hominum calamitatẽ, & perniciẽ descendunt quos perdere uolumus. Quo quidem mo-

Grecorum mos ad obtinẽdum aliquid.

Almãsoris opinio de aliquid impetrando.

Metallorũ cuiq; planeta pręst.

Vsus metallorũ in fascino.

Animi nostri sensus volatiles fiunt, & ad planetas feruntur.

do non uni tantùm homini, uerùm toti prouinciæ ac regno, & demum uniuerso orbi nocere possumus. Hinc comata sidera oriri aiũt, quę modò Regi, modò omnibus exitium afferunt, uel pestem, aut frugum penuriã, aut bella, aut terræmotus, aut alia grauißima damna. Ex horũ igitur fascinantium libidine fulmina oriũtur, quę in mortalium exitium cadunt. Et hinc factum est, ut Ioui fulmina adscriberentur, quia fascinantium animi ad Iouem delati, in nubem conuertuntur, & sic dissonus uapor gignitur, qui si in nube luctetur, ut ait Plinius, tonitrua eduntur, si ardens erũpat, fulmina oriũtur: quorum quæ sicca sunt, non adurunt, sed dissipant; quæ humida, non urunt, sed infuscant: quæ clara, mirificę maximè naturæ sunt; nam dolia exhauriunt intactis operimentis, nulloque alio uestigio relicto. Aurum, æs, argentum liquant, sacculis ipsis nulla ex parte combustis, ac ne confuso quidem signo cerę. Sic legitur in Catilinianis prodigijs, Ex Pompeiano municipio Marcus Herennius Decurio sereno die fulmine ictus. Quæ profectò fulminum diuersitas, ex fascinantium uoluntate oritur, quibus ad nutum obediũt. Hinc ueteres Romani ex Hetrusca disciplina sacerdotes in urbe habuerũt, qui fulmina ipsa & procurarent & expiarent; qui fulguratores etiam à Marco Catone nuncupantur: unde in decemuiralibus legibus de procurandis & expiandis fulminibus, hęc uerba leguntur:

Comatorũ siderũ ortus & uis.

Tonitruorum ortus.

Fulminũ ictus unde & diuersa qualitas.

Catilinianum prodigiũ ex fulmine.

Sacerdotes fulguratores q.

Lex de procurãdis & expiandis fulminibus.

Sacerdotes cæli fulgura, regionibus ratis temperanto:
Vrbẽ, agros & tẽpla, libera & effata habento:
Prodigia, portenta, ad Hetruscos, & Aruspices deferunto:
Procuranto fulgura, & obsita pianto

Quæ

Quę quidem uerba, procurare & expiare fulmina pōtificia esse, & sacris ritibus attributa, ex M. Cicerone didicimus; & auū Galbę Imperatoris, fulgura prouocaſse Suetonius Trāquillus asserit. Hinc repentini flatus, ut uortex & turbo naſcuntur, quos contrario siderum cursu Plinius fieri dicit, qui nauigantibus præcipua pestis existunt; non antennas modò, uerùm ipsa nauigia, contorta frāgentes, iidē elisu ipso repercuſsi, correpta secū in cęlum referunt, sorbentq; in excelsum. Hinc prodigiosę pluuiæ ex lacte & sanguine, carne, ferro, lana, lateribus coctis, & quàmplurima alia portēta eueniunt; hinc lapides è cælo, ut in Thraciæ parte accidiſse interdum Plinius refert; hinc grandines tātæ magnitudinis, quæ non modò segetes, uineta, homines, & bruta animalia; sed arbores ipsas prosternunt, ac peſsundant. Denique omnia quæ in terras è cęlo proueniunt, & mortalibus nociua, atque infesta sunt, fascinantium astutia accidere existimantur. Quibus si reliquę fascini causæ accedunt, ut diximus, ucelociores & efficaciores effectus consequuntur. Inde est quòd cùm grauidarum mulierum abortum procurant, horam planetę qui tūc grauido utero pręest conuentionem eligunt. Primo enim mense, Saturnus grauidis dominatur, secundo Iupiter, tertio Mars, quarto Sol, quinto Venus, sexto Mercurius, septimo uerò Luna, ac deinceps Saturnus reuertitur, cui causam adscribūt, quare octimestris partus nō uiuit; quia ille mēsis Saturno attribuitur, qui cū sit frigidę & siccæ naturæ, malitiā & interitū influit. Alij iuxta planetarū obseruationē, hoc pacto, quoslibet se fascinare posse affirmāt, quia hominū ætates septem sunt, & à septē planetis iuxta Chaldæorū doctrinā regulan-

Turbinis & vorticis ortus.

Monstrosa pluuia unde.

Abortus ꝓcuratio.

Quo ordine planetæ utero præsint.

Ætates hominū septē à planeris regulatæ.

gulātur, & quæcunq; in uita aguntur; ea statis certisq; temporibus planetæ ipsi efficiunt; sic Lunę infantiam, Mercurio pueritiam, Veneri adolescentiam, Soli iuuentutem, Marti uirilitatem, Ioui senectutem, Saturno senium tribuunt. Quando fascinatores aliquem inficere cupiunt, eius ætatem animaduertunt, & illi ætati aptū & idoneum planetam eligunt, in cuius hora fascinum moliuntur, quo fascinatio promptiorem effectum sortiatur. Meritò igitur in fascini diffinitione, de cęli obseruatione mentio facta fuit, postquàm ea adhibita tot tantaque ferè creditu difficilia procurantur, & fiunt.

Obseruatur ætas à fascinatoribus.

Quale Fascinum sit. Cap. VII.

ABsolutis & uentilatis duabus dubitationibus; An sit, & Quid sit fascinum; reliquę duę, Quale sit, & Propter quid sit, examinandę sunt. Nec immeritò illæ priores à nobis enucleatæ fuerunt; siquidem, ut Aristoteles docet, simplices sunt, quæ cæteras compositas naturę ordine iure præcedunt. Circa hanc dubitationem non multùm immorari oportet, rei namque substantia cognita, accidentia quoque ac proprietates ab ea fluentes facilè cognoscuntur, ut idem Philosophus testatur. Fascinum omne perniciosa qualitate pręditum esse, ex eiusdem diffinitione clarè habetur; quæ quidem qualitas ueneni naturę proximè accedit, quoniam sicut uenenum corpus quod inuasit, totum ad suijpsius uirulentam naturam conuertit: ita quæcunque corpora fascino correpta sunt, in uenenatam & corruptam substantiam transeunt. Quare fascinum ex destruentium & interficientium numero existit, quod non secus atque ęgritudines compositorum

Simplicia cōpositis præeunt.

Substātia perspecta accidentia facile perspiciūtur.

Fascinum est venenū

solu-

ſolutionem inducit. Faſcinum duplicem qualitatem habere poteſt, eßentialem unam, quam internam formã vocamus, qua una faſcini ſpecies ab altera differt. Et hęc nihil aliud eſt quàm meritum, quod unumquodq; compoſitum ex quatuor elementis iuxta maiorem & minorem proportionem elementorum in compoſito ſortitur, & ab influentibus ſtellis habere meretur: quę quidem ſtellę inferiorum compoſitorum ſpecies reſpiciunt, omnesque proprietates inſtillant, iuxta illud Ptolemæi: ſtellarum uirtutes inferiùs uehuntur, mediãtibus lineis pyramidalibus & rectis, quæ in ipſarum ſtellarũ lumine formantur; quod lumen per lineas diuerſas uectum, ſpecificas uirtutes à ſtellis defert, quas cõpoſitis cõmunicat, & in eis relinquit: & quoniã elementorum quantitates & pondera penitus in compoſitis ignoramus, ideò eiuſmodi ſpecificas formas aduenientes ignorare oportet. Alterum accidentalem qualitatem nuncupamus, quæ à ſua ſpecifica differentia in cõpoſita fluit, in quibus ratione quatuor elementorũ, quatuor qualitates effaſcinantes reperiuntur. Calida ſcilicet, frigida, ſicca, & humida. Calida effaſcinatrix qualitas duobus modis inficit; nã aut calefaciẽdo corrodit, & uſq; ad cor & medullas penetrãs, corpus diſſoluit; aut calefaciẽdo inflãmat, qua inflãmatione paulatim ad intimas partes perueniẽte, ſubſtãtia deperit. Frigida aũt duobus quoq; modis obeſt; aut ſtupore afficiendo, quia ob maximã frigiditatem, cor immobile redditur; aut reſpirationis uias obſtruẽdo, ita ut anhelitus cordis refrigerationi ſubtrahatur. Sicca quoq; dupliciter lædit, cordis humilitatẽ cõſumendo, aut partẽ à parte ſeparãdo, quouſq; omnia mẽbra uſque ad cor dißoluantur,

Duæ qualtates in faſcino.

Siderũ uis in inferiora corpora influit.

Quotuplex differentia faſcini.

Sicca & humida qualitates quomodo nociuæ.

tur, & intereant: humida uerò ex occulta putredine inficit cōpositum, ac destruit. At Fascinū quod à specifica differentia uim habet, non ratione alicuius prædictarū qualitatum nocet, sed quia contrariā effascinatis, & parentem atque obsequentem fascinantibus naturam continet. Verùm ut sciamus quo pacto Fascinum mortem inferre poßit, non prætermittendum est, Fascinū agendi præditum esse natura & quidquid tangit, perniciosa inficere qualitate, & in effascinantem naturā, & corrumpentem uertere, & seipsum multiplicat, corporis qualitates consumens, eoq; multiplicato, fascinans uirtus augetur, & ad cor peruenit. Et tunc spiritus uitalis cedit effascinanti uirtuti, & à corde egrediens, ipsum absque motu relinquit, & sic interitus statim subsequitur. Et non secus uitalis cordis uirtus, fascino cedit, ac ferrum magneti; cui semina quædam insunt id efficiendi, de qua sic Lucretius ait:

Fascini uires quo pacto augeātur.

Lucretij versus de magnete.

Prīcipio, fluere è lapide hoc pmulta necesse est
Semina, siue æstum: qui discutit aera plagis,
Inter qui lapidē, ferrumq; est cunque locatus.
Hoc ubi inanitur spatium, multusque uacefit
In medio locus, extemplo primordia ferri
In uacuū prolapsa cadūt coniuncta: fit utque
Annulus ipse sequatur, eatq; ita corpore toto.

Idque ea ratione fieri contingit, nam cordis arteriæ, p attrahēdi & expellendi motum, quem à natura habēt, aerem circum se stantem, quandiu animal uiuit, attrahunt, & illæ quoque arteriæ, quæ ad cutim terminantur, per suos poros intermedios, aerem qui nos ambit, usq; ad cor attrahūt, & per easdē arterias nociuas exhalationes è corde efflant. Quocirca cùm circumstans

Cordis arteria aerē quo pacto attrahant.

aer fascinãtis opera fuerit ꝑniciosa qualitate infectus, per ipsas arterias dilatationis motu cor inficit; quæ deinde labes, cũ uniuerso corpore cõmunicatur, & hoc pacto miseri mortales fascinãtur. Vnde quãto alicuius arteriæ hominis, rariores & patẽtiores exiſtũt, eo citiùs ipsi fascinũ nocet, quod ex cordis caliditate oritur, cuius eſt rarefacere, ut è cõtra frigiditatis, cõdensare: & hinc eſt ꝙ si quis effascinator, plures simul effascinare uoluerit, nõ æquè omnibus fascinũ nocet, quoniã insitus calor qui uitã subminiſtrat, extraneis nocumẽtis resiſtere põt, si uiribus præualet; at si succũbit, illicò fascinãs qualitas naturæ uires opprimit, & ad interitum perducit. Quòd si innatus calor fascinãtivi se opponit, nec omnino præualet, sed aliquid effascinãtis uirtutis diminuit; nõ cõfeſtim cõpositum enecat, sed paulatim, primò ad maciẽ, deinde ad exitialẽ exitũ deducit, quia perniciosa illa fascinationis qualitas, sensim innatis humoribus cõmunicatur, quos sibi similes reddere conatur: nec desiſtit, quousq; totũ corpus illa tabe infecerit; sicut ignis, q si materiã aliquã cõbuſtioni parũ idoneã inuenerit, eã priùs exsiccãdo, cõtrariaq; ab ea expellẽdo sibi similẽ reddit, donec formã suã in eã introducat. Nec silẽtio inuoluendũ eſt, ut suprà monui, ꝙ effascinãdi proprietas natura quædã eſt, ex humanis suppositis existẽs, à cœlorũ influẽtia emanãs, quæ proprietas si caliditati adhæreat, calida uocatur; si frigiditati, frigida, & sic de reliquis: cuiuscunq; aũt naturæ illa sit, spiritualiter agit. Et hoc quidẽ speciebus intẽtionalibus intermedijs, q̃ species intẽtionales, etsi realẽ existẽtiam in medio tanquã in subiecto habẽt, nihilominus spirituales uocãtur, quia absq; materia recipiũtur, idq;

Arteriæ rariores fasci nũ citius admittũt.

Fascinũ nõ æquè cunctis nocet.

Fascinum igni æquiparatur.

duobus modis fieri põt, vel quia tota intentionalis species, in toto modo reperitur, & ẽt ipsa tota est in qualibet medij parte, ꝑ repræsentationẽ, ut in intẽtione & specie albedinis patet, quę albedinẽ totã per paruum foramen reprę sentat, vel quia fascinans formaliter in ipso fascinato aliquã formã inducit, quæ formæ inducẽti similis nõ est; est tamẽ eius similitudo ac simulacrũ. Et hæc species siue materia in medio existẽs recipitur, ut quando imaginatione, aut uisu, aut voce fascinũ iacu latur, quod inde accidit, quia eiusmodi intentionales species, fascinatrices spiritus visui & auditui aptos inficiũt; deinde organa, demùm exitiales illæ qualitates ad cor deferuntur, quod destruunt: quo fit ut fascinum per tactum illatũ, non tam perniciosum sit, quàm quod per imaginationem, visum, aut vocem iaculatur, quia cùm materiale sit, maiorem resistentiam habere põt; spirituale verò paruam, aut nullam resistẽtiam habet. Nam sicuti Vultures ex remotißimis locis, cadauerum species odorabiles percipiunt, ut Auer. 2. de Anima, narrat, nihil est enim quod ab huiusmodi odorabilium specierum perceptione eos impedire queat; ita species ac uires effascinãtes imperceptibiliter & velocißimè ad rem effascinandã penetrant, & quasi omnis remedij spe amota inficiunt. Ex quibus infertur, quòd omnes effascinationes non sunt æqualis uirtutis: nam earũ uis, tum fascinati, tum fascinãtis ratione variari põt: quo ad fascinantem, uariari contingit si materialis aut formalis fascinatio sit: quo uerò ad fascinatum, si is resistendi uel cedendi ui pręditus sit. Fieri namque potest, ut fascinum per materiam illatum, parum aut nihil obsit, ut diximus: aliquãdo etiam tanta potest uirtute esse

Perniciosius sit fascinum ꝑ imaginationem quàm per tactum.

Ob fascinãtem vel fascinatũ magis minusve lædit fascinum.

se præditus, vt idem exitialius quàm formale sit. De fascini verò amatorij qualitate, in subsequenti quęsito nonnihil tangemus.

Propter quid Fascinum sit. Cap. VIII.

PRæsentis quæsiti indagatio, ad fascini finem perquirendum dirigitur: finis uerò duplici discrimine secatur, ut Aristoteles innuit, quo unum; alterum, gratia cuius dicitur. Finis quo, est illa actio, per quam, finem gratia cuius adipiscimur. Finis autem gratia cuius est res illa ob quam laboramus; quæ quidem res intellectum & uoluntatem nostram ad agendum, ratione obiecti mouet: atque voluntas (quo ad fascinum pertinet) altera duarum qualitatum, odio scilicet vel amore affecta erit, & respectu motionis nostrę uoluntatis, finis rationem efficientis habet. In fascino itaque odium & amor causa sunt quibus ad aliqua effascinanda inflammemur. Ex quo clarissimè patet, propter odium uel amorem fascinum exerceri: utque id de quo agimus clarius fiat, non est ignorandum, in anima sentiendi ui prædita, appetitum quendam reperiri, qui à Philosophis animalis appellatur. Animalis appetitus in concupiscibilem, & irascibilem diuiditur: hūc concupiscendi appetitum sex qualitates, tres ratione boni, tres uerò ratione mali concomitantur: Quæ boni rationem habent, sunt, amor, desiderium, & gaudium; mali uerò, odium, inuidia & tristitia. Vnde odium est concupiscibilis appetitus repugnantia circa id quod nociui ac mali rationem continet, & quidquid repugnantiam, malitiam, noxam, impedimentum, & obstaculum sapit, quia ut nociuum concipitur, ad odium spe-

Finis dupliciter consideratur.

Voluntas duobus modis afficitur.

Nō minus propter amorem quàm propter odiū fascinū infertur.

Appetitus animalis q, & eius partes.

Odiū qd.

ctare uidetur. Ob id enim aliquis odio aliquid prosequitur, quia ut sibi repugnans & contrarium, illud apprehendit, & quasi suijpsius destructiuum & corruptiuũ arbitratur. Et hinc internus dolor oritur, & cùm doloris interni causa, malũ appetitui repugnãs sit; fit ut dolor internus corporis, externũ dolorẽ grauitate excedat: & ideo doloris huiusmodi, tristitiæ atq; odij remediũ nullũ aliud magis præsentaneũ, ac salutare, quàm fascinũ creditur, per quod illos qui nobis aduersantur, ulciscimur, eis morbos, calamitates, & diuersa malorũ genera inferendo. Cùm enim alicui inuidemus, & ob eius bonum ac fœlicitatem contabescimus, nullã nobis salubriorẽ medicinam adhibendã putamus, quàm si eũ perniciosо, ac lethali malo afficiamus. Idq́; fascino intermedio nos assequi arbitramur; tum quia in nostra manu est, tum ẽt quia, & facilè, & secretò, nemine intelligente iaculatur. Amor aũt contrario modo se habet, quanquam enim ab eodẽ principio, hoc est, cõcupiscendi appetitu oriatur; tamen primus appetitus motus existit, & omniũ actionũ, ac qualitatũ fundamentũ esse existimatur. Illius namque appetitus cõcentus, & unio quædam, amor nũcupatur. Ex quo quidẽ amore si res amata adsit, gaudiũ: si uerò absit, desideriũ nascitur. Verùm non est prætermittendũ, dupliciter amorẽ considerari posse, tum ut rẽ diligimus, eiq́ue propter se, & non alia de causa bonũ concupiscimus; & hic absolutè amor uocatur, quẽ nonnulli amorẽ amicitiæ dicũt; tum ut amor amanti, uel alij est utilis, & delectabilis, & nõ rei amatæ, quẽ quidam amorem concupiscẽtiæ uocitant; & propter hunc amoris modũ fascinum iaculari consueuit: cuius amoris causa ex obiecti cognitione proficiscitur.

nemo

Marginal notes:

Dolor ex odio contractus.

Osores se fascino vlciscuntur.

Amore p̃sentis rei gaudium, absentis desideriũ nascitur.

Amoris finis duplex

nemo enim rem penitus ignotam amore ac beneuolentia prosequi potest: cùm amoris effectus, ut Aristoteles sentit, coniunctio quędam sit, qua, ut eodem referente, Aristophanes dixit, amantes unum fieri cuperent, nisi alterius corruptio sequeretur. Et quotiescunque amans in amore sibi rem amatam non respondere animaduertit, ad amatorium fascinum confugit, quo sibi illam obsequentem reddat; quod quidem fascinum, si ab interna causa fiat, eam qualitatem habet, quam fascinans in rem amatam remißè, uel intensè iaculatus fuit. Atque hæc amoris ęgritudo nihil aliud eße uidetur, quàm ardens animi affectus, atræ bilis affinis, & consimilis, quo animus ipse aßiduè agitatus, ob alicuius pulchritudinis imaginem atque formam sibi semper obuersantem flagrat. Amans igitur stimulis desiderij incensus, usque adeo ardet, donec per fascinum uotum consequatur, ut in tertio capite de huius amoris causa diximus. Huius uerò amatorij fascini duplex qualitas aßignari pōt; altera ab internis causis, altera ab externis oriens. Quæ ab internis principijs, ut fronte, imaginatione, ac reliquis manat, non illicò rem amatam pessundat, cùm id amans effascinator non intendat; sed tantùm studet, ut sibi in amore respondeat; quæ si pertinax perseuerat, fascini tabes uniuersum corporis habitum inficit; & primò ad maciem ac pallorem, deinde ad uarias ægritudines & morbos, demùm ad interitū amans perducitur. Hoc amoris genere, Phyllis Lycurgi Thracum Regis filia infecta legitur, quæ cùm Demophoontē Thesei filiū à Troiana expeditione redeuntē, & à Rege hospitio acceptū deperiret, eo furore ac insania correpta est, quia illo frui nequiret, ut amoris im-

Effectus amoris.

Fascini amatorij cā duplex.

Amoris ægritudo quid sit.

Phyllidis amantis mors.

patiẽtia post multas ęgritudines laqueo uitã finierit. Sic Iphis liberali facie puer cùm Anaxaretẽ puellam incredibili amore prosequeretur, interijt. Sic Hæmon Thebanus, cùm Antigones OEdippi & Iocastæ filiæ amore cõtabesceret, ad eius tumulũ sibi mortem consciuit. Eodem mortis genere puella Sappho ex Lesbo insula, uitam cũ morte commutauit, Phaonis liberalis formę adolescentis amore percita. Quam imitata Biblis Mileti filia ex Cyane, Cauni fratris amore fascinata, laqueo se suspendit, ut de Arte amandi Ouidius refert:

Iphidis interitus.
Hæmonis Creõtis filij mors.
Sapphus ex nimio amore mors.
Biblidis suspendium.

Biblida quid referã? uetito quæ fratris amore
Arsit, & est laqueo fortiter ulta nefas.

Ouid. uersus.

Pyrami quoq; & Thisbes necem, eisdem fascini uiribus nonnulli adscribunt. Sic ẽt Galeatij Mantuani, cui cùm quędam puella quam deperibat, per iocum imperaret, ut se in fluuium deijceret, amatorio fascino, rationis usu orbatus, eidem obtemperauit, seque uita priuauit. Sic Timagoras, ut Cœlius est auctor, se pręcipitem dedit, Miletis adolescẽtis Atheniensis iußu, cuius fascinantibus radijs infectus erat. Nec secus Gidica Põminij Laurentini uxor uitæ finem dedit, dum Comminij priuigni fascino contaminata eßet; in quod mortis genus parũ abfuit quin Antiochus quoq; Seleuci Regis filius incideret, nouercæ Stratonices infando amore correptus: sed pius pater filij uitæ amans, charißimam sibi coniugem eidem filio cedere non dubitauit: quòd in amorem incidißet fortunæ acceptum referẽs, quòd usque ad mortem is dißimularet, ipsius pudori imputans. At si ab externis causis fascinũ inferatur, præter ea quæ in partium fascini declaratione diximus, grauissima mala effascinandis nonnullis medicaminibus inferun-

Pyrami & Thisbes interitus.
Timagoras.
Gidicæ mors.
Antiochi in nouercam uehemẽs amor.
Seleuci mira in filiũ pietas.
Varia ueneficia diuersis animalibus à Plinio relata.

ferun-

ferũtur, vt de Echneide pisce Plinius refert, ac de Hyę næ rostri pilis mulierũ labris admotis; quod etiã de Lacerta aßerit. De Ranis verò quibusdã sic ait; In vepribus tantùm viuũt, & ob id rubetæ nominantur, quas Græci Phirnos vocãt, grãdissimæ cunctarum geminis veluti quibusdam cornibus, plenæ veneficiorum; mira de his certatim auctores tradunt: Ossiculum esse in sinistro latere aiunt, quo canũ impetus cohibẽtur, amor concitatur, & iurgia, addito in potionem. Lupi etiam caudæ exiguo in villo, amatorium virus ineßе credit, qui si viuenti non detrahatur, vim nullam habere refert. In externis fascini causis, herbæ ac frutices numerantur, & præcipuè de quodam frutice mẽtio fit; Charitoblepharon vocatur, quem miscendis amatorijs efficacem eße tradunt. Item de Staphylino Plinius meminit: qui de herba quam Centumcapita vocant, sic inquit; Radix eius alterutrius sexus similitudinẽ refert, rara inuentu, sed si viris contigerit mas, amabiles fiũt, ob hoc & Phaonem Lesbium à Sappho dilectũ tradit. Eandem vim Airoum herbã, & Catanancen Theßalam herbã possidere arbitratur: nec secus de herba Phyteuma sentit. Sagittas præterea corpore eductas, si terram non attigerint, subiectas cubantibus amatorium esse Orpheus, & Archelaus, referente Plinio, scribũt. Multa item sunt, quibus amatorium fascinum procurari existimatur, vt mineralia, lapides, metalla, herbæ, plantæ, arbores, animalia; quæ singula enumerare, stomachum potius facerent, quàm fructum afferrent. Quo fit vt credatur, Lucretium Poetam eiusmodi amatorio poculo infectum eo furoris raptum fuiße, vt manum sibi intulerit, de quo Politianus in Nutricia cantat.

Lupi caudę virus amatorium inest.

Herbis & alijs instrumentis fascinũ amatoriũ fieri

Nec

Nec qui phyltra bibit, nimiòq; īsanus amore
Mox ferro occubuit, sic mētē amiserat omnē.

De Lucretij obitu versus. Lucull' phyltro occubuit.

Lucullum quoque Imperatorem clarissimū, amatorio poculo propinato, periisse testis est Plinius. Sic alij quamplurimi, quorum nomina recensere nimis longū esset. Qua igitur de causa, & ad quem finem fascinum procurari contingat, satis notum esse, atque à nobis monstratum arbitramur.

De Fascini speciebus. Cap. IX.

QVemadmodum res naturaliter speciem ab insita forma accipiunt, ita mortalium actiones; vt visus à colore, auditus à sono, eßentiam ab obiecto mutuantur. Cùmque fascini obiectum duplex sit, duplicem quoque fascini speciem eße fateri oportet; amorem videlicet & odium. Sicut enim in rebus quæ à natura sunt, prima bonitas ex forma, quę speciem largitur, nascitur; pari quoque modo, in humanis actibus, bonitas vel prauitas ex cōuenienti re oblata, prout motus à termino speciem ac differentiam sumit: & quia rationalis animæ munus est, dirigere & ordinare, inde fit vt si actus à ratione procedēs, in malū finē dirigatur atque ordinetur, ipse quoque malus dicatur; si verò in bonū, ipse quoque bon⁹ vocetur, iuxta Boetij regulā; Cuius finis bonus est, & ipsum etiam bonum esse opus est. Actus autem qui in bonū dirigitur, amor: qui in malum, odium appellatur; & ob hanc causam amor, & odiū fascinationis species dicūtur; omnes enim fascinantium actus, ad illorū alterum, veluti ad finem tendūt. Verùm si quis obijciat, omnē fascini modum contra cōmune vel priuatū commodū directum

Obiectum fascini duplex.

Humani actus secundū finem boni malive iudicātur.

Argumēta fascinum semper esse malū demonstrantia.

esse,

esse, nullàmque affinitatē cū bonitate habere; quinimo inter fascinū & bonum, eam cōtrarietatē et repugnātiam esse, quæ inter calidum & frigidū, hoc est quæ inter contraria est. Siquidē fascinū malū, semper ad virtutum tum naturalium, tum moralium corruptionem tendit. Nec refert quòd amatorium fascinum amorē excitet, quia affectus ille non amor sed insania appellari debet, cū à rationis et honestatis via maximè abhorreat, & ad propriā improbàmque libidinē explēdā anhelet, ac toto impetu feratur. Huic dubitationi ita facimus satis: nā humanorum actuum species à rebus quæ concipiuntur differentiam sortiuntur, & non ab earundem rerū natura, qua constant. Cùm itaque ob amorē aliqui ad effascinādum moueantur, atque hic amor bonus & salutaris ipsis videatur, & boni specie cōcipiatur, iuxta huiusmodi cōceptionē, talis amor bonus existimatur, prout in cæteris rebus apparens, & existēs bonū reperitur: & sic fascini distincta species ponitur. Nec prætermittendū est, duplex esse agēdi principiū, artem & naturā: at duæ fascini species declaratæ ab arte sunt, cuius quidē artis, rō & voluntas causa sunt. Fascinum uerò quod à natura: nulla artis actione concurrente fit, diuersæ speciei esse duco. Nonnulli enim ita sunt à natura procreati, vt quidquid intueantur, fascinent: idq; ipsismet fascinantibus penitus ignorantibus. Non enim talis fascinandi actus à voluntate seu actione egreditur: quandoque enim patres, filios intuiti fascinant, quod quidem ipsi grauissimè ferunt. Cùm ergo huiusmodi fascinatio inuitis patribus accidat, clarum est, à natura, & non à ratione procedere. Quam ob rem hæc tertia fascinationis species ponen-

Actus humani à rebus conceptis speciē sortiūtur.

Ratio, & volūtas artis causa sunt.

Fascinum naturale ab artificioso distat.

ponẽda est, quæ tantùm principijs adscribitur naturæ; sub qua quidem specie illa indiuidua collocantur, quæ se ipsa fascinant, de quibus in sequenti capite verba faciemus.

An aliqui sese fascinare posſint. Cap. X.

Facilè summa quæque deturbantur.

Cur nõnulli se fascinare credãtur.

Basiliscus proprio intuitu perimitur.

Eutelidis mors.

Querela Narcyssi apud Ouid.

QVando corporis habitus ad summam perfectionem peruenerit, necesse est vt in deteriorẽ statum vergat: corpora siquidem ae summum vigorem progressa, in vniformi statu persistere nequeunt, vt naturales Philosophi sentiunt, sed veluti suspensa diutius lanx in alteram partem propendeat necesse est; quia summa quæque non magno negotio deturbantur. Cùm igitur aliquis sibi habitior videtur, sęque ea de causa circumspicit, iam declinare cogitur, & habitu in deteriorem statum vergente sese fascinare creditur. Quod quidem in claris aquis, & speculis lucentibus accidere crebriùs consueuit. Ibi enim oculorum radij repercutiuntur, & reciproco iaculatu in suos retorquentur auctores, proprijq; veneficij tandem luunt pœnas, atque eisdem, quibus cæteros, sese fascinis labefactant. Sic Basiliscus propijs oculorum radijs in se contortis interficitur. Hoc mortis genus, Euteliden inuasisse, poetę memoriæ prodiderunt. Qui miser cùm in flumine se cõspexisset, sibiq; pulcherrimus visus esset, sui amore deperire cœpit, ob fascini perniciem, quam sibi consciuit. Vnde in ægritudinem lapsus, pristinum corporis habitum, cum venustate amisit, & noxam ineuitabilem contraxit: quod de Narcysso Ouid. scribit.

Vror amore mei, flemmas moueòque feròq;
Quid faciã? roger, anne rogẽ? q̃d deĩde rogabo?

Quod

Quod cupio mecũ eſt, inopẽ me copia fecit.

Infantes quandoque ſuo ſe eiulatu vitiant, quàmuis ipſos intuentibus falsò adſcribatur. Pueruli ꝓprio eiulatu ſibi nocent. *Nec illud prætermittam, quòd homines crebrò opinione faſcinantur. Nã quemadmodum ſpectrorũ, quæ inuidentes eiaculantur, nullam reddere rationem poſſumus, quamuis neque ſenſu omnino neque impetu careant, ſed maleficij, & faſcinationis labe repleãtur, eò quòd diutius eos, quos faſcinare volunt, veneno imbuta inſederunt, corpusq; & mentem conturbant, & ſua ſorde contaminant: ita exiſtimandum eſt, hominem quodam modo opinione faſcinari, cuius profectò rei rationem, nullam inire, nec cauſam aſſequi poſſumus.* Multi opinione faſcinantur. *Eſt & alter ſe ipſum effaſcinandi modus: ſi quidem omnes animi noſtri affectiones, ſi nobis diu inhæſerint, pernicioſos habitus efficiunt; qui quando naturæ robur adſciuerunt, quauis occaſione conciti, identidem nos, vel inuitos in peculiares morbos trahunt.* Altera ſe ipſum faſcinandi ratio. *Inde fit vt ſi timidos obſeruaueris, quæ illis ſalutaria ſunt, timorẽ eis afferre inuenies. Sic iracundi familiaribus, & amiciſſimis graues, ac difficiles ſunt. Sic laſciui, & amatores à pudiciſſimis corporibus, etiam moribundi ſe temperare non poſſunt. Aſſuefactio enim ad hoc viget, vt ſuam quiſque affectionem requirat, & excitet. Vnde mirandum nõ eſt, ſi ij qui diuturnæ inuidię teredinem, aut alium faſcinatorem habitum in ſe aluerunt, ad id quod ſuum eſt, pro affectionis natura moueantur.* Recedere difficillimum eſt ab aſſuetis. *Non enim ſecus his accidit, atq; orbi qui circulari vertigine volutatur, quippe qui ſuo veluti naturali habitu ad omnes turpes, & improbas affectiones mouentur, eiſque vehementiſſimè nocent, quorum odio, uel cupiditate incenſi ſunt.*

Quicunque ergo se ipsos fascinarunt, ac fascinant, his vijs hoc fecisse existimantur.

An aliqui natura fascinatores nascantur. Cap. XI.

Arte fascinum factũ, natura fieri potest.

ARtem naturæ parentis imitatricem eße, nemo est qui ambigat. Verùm cùm fascinatores arte fieri queant, & natura omni artis genere prior existat, natura priùs fascinantes esse, quàm arte asserendum est. Si enim puella, vt olim à quibusdam Regibus factitatum legitur, napello nutriri potest, ad hoc vt cum ea coeuntes moriantur; quare natura alicui donari non poterit, vt idem, vel visu, vel alia efficiat actione? Huc accedit quòd cæterorum animalium quædam visu, nonnulla anhelitu, alia tactu mortem alijs, non tamen sui generis, inferre solent: Homini ergo qui in quæcunque genera sæuit, & præsertim in indiuidua, quæ sub se continentur, nullum veneni genus à natura negatũ esse creditur, inter quæ fascinatio connumeratur. Equidem homines reperiri legimus ad septentrionem degentes, quos Anthropophagos vocant, qui brutorum animalium more, humanis carnibus vescuntur, & quod immitius videtur, humanis capitum ossibus bibunt, cutibùsque ipsis capillatis pro mantilibus ante pectora vtuntur, vt Isigonus Nicæensis, Plinio referẽte, inquit. Si itaque hãc immanitatem aliquibus natura inseuit, fateri oportet, fascinandi quoque potestatem ab ea hominibus traditam esse, eòque magis id persuaderi potest, quoniam in Hellespõto, circa Parium, genus hominum esse Pergamenus Crates tradit, vt ex Plinio didicimus, quos Ophio-

Puella veneno nutrita secum coeuntes interimit.

Homo naturaliter fascinare potest.

Anthropophagorum immanitas.

Pergamenus Crates, de Ophiogenibus.

phio-

phiogenes vocat, serpentum ictus contactu leuare solitos. Similis in Africa gens Psylloru fuit, vt Agatharchides scribit, à Psyllo Rege dicta, quoru corporibus virus exitiale serpẽtibus ingenitũ fuit, cuius odore eas sopirent, vt de tactu supra diximus. Quòd si hãc virulentam qualitatem hominibus natura indidit, fascinandi quoq; vim eis tribuisse quilibet intelligere potest. Mulierũ capillos, si cremẽtur, à natura hoc habere legimus, vt odore serpẽtes expellant: mulieres cùm menstruo laborãt, si nudatæ segetem ambiãt, erucas, ac vermiculos scarabęósque ac noxia alia decidere faciẽt, Metrodoro Scepsio teste: itẽ nouellas uites earũ contactu in perpetuum lædi, rutã, & hederas, quæ medicinales sunt, illico mori, apes tactis aluearibus fugere, linaq; cũ coquãtur nigrescere, aciem in cultris tonsorum hebetari, æs contactum graue uirus, & æruginem cõtrahere: equas, si sint grauidæ, tactas quãdoque etiam solo aspectu procul uisas abortũ pati, Plinius prodit: canes mẽstruo sãguine gustato, in rabiem aguntur, et insanabili veneno morsus inficitur. Si igitur per hæc vilissima excremẽta, quæ nota sunt, tot miracula mulieres faciant; verisimilius est, tum viros, tũ mulieres, natura per occultam fascinandi vim maiora efficere posse. In fascini etiam qualitate diximus, altera duarum qualitatum, ipsum præditum eße; quarum vna essentialis forma est, altera accidentalis, ab ea fluens nuncupatur. Et quoniã vtraque agendi, & fascinãdi vi prædita est, & naturalis existit, idcirco homines, qui per illam intermediam fascinant, natura fascinatores dicendi sunt. Eadem videtur ratio reliquarum causarum fascinantium, de quibus suo loco diximus, quæ quia naturales sunt,

Agatharchides de Psyllis.

Crines mulierum cru mati serpentes abegunt.

Muliebris menstrui virus.

Essentialis & accidentalis fascini qualitas.

Natura fascinantes.

ij quoque qui talibus præditi sunt, natura fascinatores appellantur. Quorundam hominum corporibus partes innatæ leguntur, quæ mirabiles vires habuerunt. Nam Pyrrhus Rex in dextro pede pollicem habuit, cuius tactus lienosis, vt diximus, medebatur, quē cremari cum reliquo corpore non potuisse tradunt. Sampsonem, vt sacræ litteræ perhibent, in capillitio mirabilē virtutem continuisse credimus, qua, quibuslibet aduersis rebus resistere poterat. In Hispania ab oculatis testibus audiui, quosdam homines fuisse, qui salutatores vocabātur, qui salutationibus propè incredibilia faciebant, etiam canum morsus curantes. Hi bodie in Gallia & Burgundia esse dicuntur. Quando enim aliquis septem filios masculos & inter eos nullam fœminam suscepit; septimus hanc mirabilem virtutem habere creditur. Vespasianus quoque à natura donatus legitur, vt tactu & saliua & quandoque sine his, pluribus morborum generibus mederetur. Odorem præterea ab Alexandro exisse legitur, qui omnes suauitate mirum in modum delectabat. Rex insuper Galliæ hæreditariā virtutem per manus traditam habere perhibetur, vt quoscunq; strumis laborātes, atq; affectos tetigerit, sanos reddere valeat. Si ergo tot mirabiles virtutes in hos à natura collatæ prædicantur, fateri oportet, etiam fascinandi vim in quibusdam hominibus natura inueuiri. Et cùm affectū, hoc est fascinationem, ab eis emanare videamus, causam quoque in his latere censendum est. Quam hac de causa à natura, & non ab arte proficisci putandum est, quia quandoque à pueris fascinum iaculari videmus, qui nullum artis genus scire poßūt, & omnium rerum, quæ per artem acquiruntur cognitione penitus carent.

Pyrrhi virtus in lienosos.

Sampsonis capillitij virtus.

Salutatores & eorū virtus.

Septimi maris virtus.

Tactus & saliua Vespasiani salutaris.

Galliæ Regum virtus in strumosos.

Causa fascinationis à natura nō ab arte manat.

Pueri etiā fascinant.

Ideo

Ideo hos atque alios complures natura fascinatores nuncupare possumus.

De qualitatibus Fascinantis. Cap. XII.

PRæcipua fascinantium ratio, qua ad effascinandum efficaciores & vehementiores redduntur, est corporum cælestium vis; quæ non hominibus tantùm, sed brutis animalibus, arboribus, & lapidibus communicatur, vt diximus. Vnde hominum motus, ac taciti consensus, ab huiusmodi virtute ad fascinum incitantur. Hæc autem fascinandi vis hominibus innata, augeri aliquando potest iuxta animi affectus, & perturbationes, quæ sunt impetus, ira, timor, mæror, inuidia, vehemens cupiditas, ac nimius ad quamcunq; rem affectus, siue amor, siue odium sit. Si quis enim ad tumultus ciendos natura procliuis existat, vel ex animi proposito prauo quodam more, rixarum amator, perturbationum, calumniarum, conuitiorum, contentionum, inimicitiarum, dißidiorum, irarum excitator, & inuentor sit; is fascinator omnium validißimus habendus est. Et præsertim si adeo iracundus, ferus, crudelis, furiosus, atque etiam insanus sit, vt iracundiæ, furoris, crudelitatis, insaniæ, impetum frenare non possit: quemadmodum sunt illi, qui, cùm res aliqua ex sententia sibi non succedit, ore frendentes, manibus sese tondentes, pedes supplodentes, atque etiam in Deum conuincia iactantes, iracundiã, & furorẽ præ se ferunt, omnibus corporis gestibus, instar eorum, qui furijs agitantur, ex ore spumam emittentes. Cæterùm non prætermittendum est, quòd humani animi vis, quæ rationis est expers, duplex existit, vt docuimus: Altera quæ

Cœlestia corpora iuuant fascinum.

Potẽtiores ad fascinãdum, qui.

Quo quis nequior est, eo fascino aptior.

Blasphemi, fascini capacissimi.

Animi vis duplex.

irascibilis vocatur, cuius est citò excandescere, & irasci iis, qui contra nos aliquid ausi sunt; ad quam etiam pertinet inexorabilitas, quæ profectò eo est excandescentis animi perniciosior qualitas, quò est longior, ac diuturnior: Altera est, quæ concupiscibilis vocatur, & ad id quod ipsi iucundum suaueque visum fuerit, præceps fertur, antequam vtilène sit, atque honestum, an noxium, & turpe animaduertat. Quicunque igitur has animi partes, ad sua obiecta pronas, & in eis exercitatas habet, ille fascinator promptus dici potest. Homo etenim iracundia percitus, ob amorem rabido cani, & petulanti apro, vel hirco, vel cuipiam feræ belluę similis effectus, adeo sese ira & furore inflammat, vt fascinantes oculorum radios virulentia quadam infectos quasi sagittas iaculetur; qui simul atque ad fascinandorum corpora peruenerint, ea veluti pestilenti tabe inficiunt: & inde est quòd plures fœminas, quàm viros effascinatrices inuenimus; quia irascendi, & concupiscendi animi vim adeo effrenatam habent, vt nullo modo ab ira, & cupiditate sese temperare valeāt: quo fit vt illico quauis occasione oblata ira ferueant, & belluarum more truces, ac turbulentos oculos in rem fascinandam figant. Huc accedit, quòd cùm mulieres naturam admodum mutabilem habeant, quidquid molestiæ eis accidit, confestim ab æquanimitate discedunt, humoresque ita conturbati, virulentam qualitatem & exhalationem emittunt; quæ exhalationum congeries, ob noxios cibos, qnibus quotidie vescuntur, & ob excrementa perniciosa, quæ expellunt, augeri potest. Singulis quoque mensibus, superfluitatibus replentur, eisque melancholicus sanguis bullit; ex quo vapores

Concupiscibilis vis.

Homo iratus feræ similis.

Plures sūt mulieres fascinatrices quam viri.

Fœminarū excrementa virulentiora sunt.

pores orti, sursum alati per os, & nares, ac reliquos corporis meatus fluunt, & in obuia queque effascinatricem qualitatem inijciunt. Quandam igitur auram eructant, qua quibuscunque volunt obesse possunt, & inter eas maxime aniculæ. Denique omnes macilenti, & melancholici, qui binas pupillas in oculis habent, aut in uno oculo geminam pupillam, in altero equi effigiem, vt Dydimus ait: quique oculos concauos, ac veluti quibusdam quasi foueis reconditos gerunt, exhaustoque adeo vniuerso humore, vt ossa, quibus palpebræ cohærent, eminere, hirquique sordibus scatere cernantur; quibus in tota cute, quæ faciem obducit, squallor, & situs immoderatus conspicitur, facillimè fascinant. Strabones quoque, glaucos, micantes, & terribiles oculos habentes, quæcunque fixis, & iratis oculis aspiciunt, fascino inficiunt: & ego hisce oculis Romæ, quendam Hispanum genere vidi, quem nominare non licet, qui cùm truculentis oculis, tetro, atque irato vultu, seruum, ob nescio quid obiurgasset, adeo seruus ille timore, ac terrore perterritus fuit, vt non modo fascino affectus, sed rationis vsu priuatus fuerit, & melancholico humore totum eius corpus inuadēte, ita ad insaniam redactus fuit, vt in domo sui heri prope Ecclesiam Diui Iacobi sibi mortem consciuerit, & laqueo vitam finiuerit. Hæ igitur sunt conditiones, quas excogitare, & ex varijs auctoribus colligere potui, quibus fascinantes, vehementius, ac perniciosiùs nocere consueuerunt. Quæ verò arte parantur, vt faciliùs officiant, ea recēsere in animo non est, cū infinita propè sint. Si quidē Damō pharmacū in Aethiopia esse prodit, cuius sudor tabem fascinantem corporibus afferat.

Anus potissimum fascinant.

Homo fouetis oculis fascino aptus.

Strabones inficiunt aspectu.

Serui ab irato hero obiurgati mors.

Pharmacū lethale in Aethiopia

Horatius quoque nonnulla ennmerat, quibus Canidia ad huiusmodi fascinationes, & maleficia vtebatur:

Veneficarum vis ex Horat.

Canidia breuibus implicata uiperis
Crines, & incomptum caput,
Iubet sepulchris Caprificos erutas,
Iubet Cupressus funebres
Et uncta turpis oua ranæ sanguine,
Plumamque nocturnæ strygis,
Herbasque quas & Colchos, atque Iberia
Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta ieiunæ canis
Flammis aduri Colchicis.

Herculis mors.

Hercules quoque tunica Nessi Centauri cruore tincta, in tantas furias actus legitur, vt pre doloris impatientia, sese in Oeta monte combusserit. Sunt & alia huius generis innumera, quæ recēsendo, nauseam potiùs parerent, quàm fructum delectationemvè ullam afferrent.

Qui Fascino magis obnoxij sint. Cap. XIII.

Morbi origo à corporis dispositione.

Solidiora corpora ad inferēdum fascinum quā ad patiendum aptiora sunt.

Respirationis effectus.

QVamuis fascinum perniciosissima præditum sit qualitate omnium actiuarū efficacissima; tamen absq; patientis aptitudine agere non potest: in omnium enim egritudinum generatione, præcipuam partem, ut Aristot. in lib. de Anima tradit, habere uidetur, corporis dispositio: tenuis siquidem substantia, crassa faciliùs alteratur. Corpus etiam humoribus solidū, promptius uirulentā qualitatem iaculatur, quàm ipsum ab eisdē aliquid sibi nociui asciscat. Semper enim humana corpora respirāt, modò spiritū emittendo, modò eūdem attrahendo: qua reciprocatione uapores intimos, ac fuliginosos exhalāt, aeream q; substantiā in refrigerationem

nem natiui caloris attrahunt. Qui cutis dẽsitate cõstãt nõ facilè fascino lęduntur: nã ꝑ meatuum raritatem fascinãs qualitas facillimè ingredi potest, eoque magis si huiusmodi meatus tenui & imbecillo humore repleantur, qui à fascinante ui, nullo negotio superatur. Vnde fascinum expeditam uiam inuenit, ut in patientẽ actionem suam exerceat. Nam sunt nõnulli, qui meatus conclusos habent, & difficillimè à fascino læduntur, quippe qui fascinum non admittunt, nisi priùs ipsorum densitatẽ soluat: quæ tamen difficillimè soluitur, quia eorum corpora, etsi rara et mollia sint, humor nihilominus cũ partibus siccis firmè colligatus est, & quasi vnum esse ctus. Meatus itaque patentes habentes facillimè fascino inficiuntur. Ex quo Lucretius ait,

Corpora rara fascino patentiora sunt.

Interiorem etiam partem spirantibus aer
Verberat, hic idẽ cũ ducitur atque reflatur.
Quare vtrinq; secus cũ corpus uapulet, & cũ
Perueniant plagæ per parua foramina nobis
Corporis ad primas partes, elemẽtaq; prima;
Fit quasi paulatim nobis per membra ruina.

Versus de corporibus aeri obnoxijs.

Quanto itaque cordis & arteriarum alicuius hominis natura calidior & rarior erit, tanto citiùs fascinũ nocet: quoniam calidũ cor, plus anhelitu attrahit, quàm frigidum; ac uiæ latiores sunt in arterijs calidi cordis quàm frigidi, per quas spiritui fascinantis facilior trãsitus patet. Verũ si naturalis caliditas tanta esset, ut fascini uim superaret, eam expelleret, & sic nocumentũ arceret. Corpus etiam frigida, & sicca natura præditũ, fascini viribus resistit, nihilq; in se ingredi sinit. priusquàm ipsum ex aliqua parte diuisum sit, ac ueluti exulceratum. Econtrà humidi & calidi corporis natura ce-

Corpora calidissima fascinũ superãt. Frigida & sicca corpora fasciuo resistunt.

lerrimè alteratur; quippe quę fascini qualitate pcepta, in tabidã mutatur naturã; vt sunt pueri, qui tenelli & calidi, atq; humidi existẽtes fascino facillimè inficiuntur; eoque magis quo elegantiores & venustiores sũt. Omnia enim egregia ac decora inuidentium fascinatorum animis citiùs exposita sunt: idcirco quæcunq; venustatem, decorem & elegantiam quandam habẽt, in magno sunt periculo, ne fascinẽtur. Vt sũt quoque decori et pulchri iuuenes, ingenio et natura diuites, uenustæ mulieres, opimæ pecudes, equi aspectu delectabiles, lætæ segetes, pulchrę arbores. Quapropter quidã amicus mihi narrauit, se quendam qui oculum fascinantẽ habebat, uidisse, qui cùm in lapidarij cuiusdã manibus, pretiosum lapidem miro artificio politum animaduertißet, ac fixis oculis eum cõtemplatus esset, nulla interposita mora lapis ille ex seipso ĩ duas partes diuisus & confractus fuit. Nihil ergo elegans, et uisu iucũdũ à fascini potestate immune ac liberum esse arbitrantur: sic etiam præpotentes, & in excelso loco cõstituti, in magno sunt fascini patiendi periculo. Amatorio fascino illi præsertim inficiuntur, qui ex altera parte sanguinei, ex altera cholerici vidẽtur, qui amplos, nitẽtes et glaucos oculos habẽt, quiq́ue castè uiuere solẽt, ne frequẽti coitus usu, humor euacuetur. Hi namque frequẽtissimo aspectu, uehementi & continua imaginatione, ex apto interuallo radios cum radijs, & lumina cum luminibus coniungentes, vltrò citròque intuitu commeante, amatorio fascino afficiuntur, unde se nequeunt postmodum liberare. Et tãta est huius fascini uis, talisq́; natura, ut nullum uirus tantum incendium in medullis ac pręcordijs amantium excitet, ut Apuleius est auctor.

Pueri fascino obnoxij.

Forma & venustas fascino patent.

Narratio de quodã perniciosum oculũ habente.

Amatorio fascino q̃ citiùs obnoxij.

De Amuletis hebetātibus & auferētib' fascinū. Cap. XIIII.

POstquam omnes dubitationes quæ de fascinatione moueri consueuerunt, discussimus, easque iuxta naturalium Philosophorum opinionem determinauimus, operæpretium esse duxi, ut amuleta quæ fascini uires, & noxia quæque atq; homini infesta amoliuntur ac depellunt, subijciam. Vt enim quis lethali epoto ueneno, paruo temporis interuallo perit, ueneni qualitate & non copia interitum afferente, nisi confestim ægrotanti remedium afferatur: ita fascino correptus, celerem mortem obire cogitur, si amuletis citò non adiuuetur. Priscorum Philosophorum sedulitas contra fascinationes certo determinatoque remedio non utebatur: nam quidam peculiari orationis ceremonia fascinatoribus occurrebant, Græcam Nemesim inuocantes, cui ob id Romæ in Capitolio simulacrum erectum est: alij frontis Hyenæ corium fascino resistere credebant: nonnulli sinistræ, dextræque claudicationis occursu, fascinantium malitiā decipiebāt. Alij palmarum lignū in pomo osseū, dente limatū contra fascinationes poliebant, aut satyrion sumebant, quę Orchis cognominatur, & fœmina esse creditur; quæque internodijs ramosiore frutice & radice distinguitur. Dioscorides alyßum in domo suspensum salutare amuletū hominibus & quadrupedibus cōtra fascinationes esse refert. Arist. fascinationis amuletū rutā cēset. Democritus Abderites Catochitis lapidis gestatione uel ostēsione frequēter contra fascinū utebatur, quo etià explorabat occultā naturæ uim ī certaminibus, quæ cōtra Magos habuit. Quidā non spernendi autores inter amuleta

Cur nunc de amuletis agat.

Fascino citò obstandum.

Antiquorū contra fascinum vana superstitio & varia.

Dioscoridis & Democriti amuleta cōtra fascinum.

Ruta medetur fascino.

connumerant in editam urinam expuere, et similliter in dextri pedis calceamentum, antequàm induatur. Quod etiam salutare esse aiunt, cùm quis per locum aliquem transit, in quo periculum sibi imminere ueretur. Nec desunt, qui hyssopum, uel lilium aut ungulam magnæ, ut uocitant, bestiæ secum ferant. Mulieres si pueros malum contraxisse conspexerint, eos thure suffumigant, et lapides pretiosos, ut Hyacinthum, Sapphirũ, Carbunculum circa collum suspẽdunt: aerem instaurant, odoratas suffumigationes parando, aquis irrorando, cinnamomum, ambram, & cætera id genus adhibendo. Roma uerò cùm ob fascinum pestilentia aut graui morbo laboraret, hoc pacto ciuium saluti Consules consulebant, Dictatorem ex seniorum memoria repetitum creabant, qui clauum in dextero lapide ædis Iouis Opt. Max. in Capitolio figebat, & statim pestilẽtia, quæ nec diuina ope nec humanis cõsilijs depelli poterat, discedebat, ut euenit quando hac de causa L. Mãlius Dictator creatus fuit. Apud Historicos fide dignos legimus, cũ Romanæ aliquot matronæ de ueneficijs damnatæ fuissent, Dictatorẽ clauum fixisse, ut mentes alienatæ sui cõpotes fierẽt. Simili memoria ex Annalibus repetita, claui figẽdi causa, Dictator creatus Cn. Quintilius fuit, qui fixo item clauo, eo piaculo ciuiũ mentes sui cõpotes fecit, discordesque animos cõciliauit. Prætermitto amuleta quibus venatores vtũtur; innumera enim propè sunt: & inter alia quercus fruticem mediũ findere solent, ac per ipsum tum canes, tum uenatores ipsi trãseunt, quo facto fascinum dirimere sese opinantur. Diuus August. de Ciuit. Dei lib. 7. c. 12. referẽs turpitudines quas Libero deo tribuebant autiqui, ait, Liberi mem-

Expuere ĩ propriã vrinã salubre est cõtrafascinũ.

Thuris suffitus & lapillorum gestatio fascinũ abigunt.

Mos Romanorum ad luẽ cõpescendã.

Quo pacto nonnullis effascinatis Quintilius dictator cõsuluerit.

Venatorũ amuleta.

Quomodo antiqui Liberũ propitiabant.

membro inhonesto matremfamilias honestißimam palàm coronam necesse erat imponere: sed uidelicet sic Liber Deus placãdus fuerat pro euẽtibus seminum: sic ab agris fascinatio repellẽda, ut matrona hoc facere cogeretur in publico. Contra amatoria quoque fascina, diuersa amuletorum genera parari consueuerunt: nã Athenis inualuit usus, ut antequàm noua nupta mariti domũ ingrederetur, oleo & adipe suillo, vel lupino postes inungerentur, ne quid perniciosæ pestis in domum irreperet. Quod Magorum commentũ fuisse ferunt, quemadmodum etiam felle nigri canis suffitas domos habere, & genitale sub limine defodere, salutare contra amatoria fascina arbitrati sunt. Puluerem in quo se mula uolutauerit, corpori inspersum mitigare amoris ardores Plinius refert. Cyzici fontem Cupidinis inueniri, ex quo potãtes amorem deponãt, Mutianus existimat. In dextro ranæ latere, quæ Rubeta uocatur, oßiculum inueniri aiunt, quo amor inhibetur. Chameleontis iecinore amatoria dissolui ex Democriti sentẽtia traditur. Nonnulli amoris fascinum sic hebetandum censent: uisus est amouendus, ne oculorũ acies cum aliorum oculis adiungamus, neve lumina cum luminibus copulẽtur; unde namque amoris pestẽ nobis adsciuimus, illinc causam remouendo remedium sumendum est. Idcirco omnis consuetudo est remouenda, otium tollendum, grauioribus curis animus adhibendus, sanguis emittendus. Omnia etiam excrementa per sudorem eijcienda sunt. Et quoniam rei amatę imago, & similitudo, quæ noctes atque dies ob oculos nobis obuersatur, nos effascinatos habet, ideo in grauiorem aliam curam, magisque anxiam animus est distrahendus, quousque

Ironia D. August. in Ethnicos.

Ritus Atheniẽsium in nuptijs.

Fons amorem depellens.

Rubetæ ossiculum amorem inhibet.

Remediũ ne quis fascino amatorio inficiatur,

insi-

insidens illa mentis cogitatio ac seruor intepescat. Quod Lucretius hisce uersibus aperit:

De vitādo amore versus.

Sed fugitare decet simulacra,& pabula amoris
Absterrere sibi,atque aliò conuertere mẽtem,
Atq; iacere amorẽ collectũ in corpora quæq.

Amor fame uel tẽpore sedatur.

Remediũ postremũ amãtium, laqueus.

Chaldæorum amuletum Iustinæ amãti adhibitum.

Amoris remedia qui scripserũt.

Crates Thebanus de amore sic dixisse fertur. Amorem fame sedari, sin minus tempore: quòd si duo hæc non suffecerint, ad laqueum est accedendum: ad quæ Poeta Ausonius respexit, cùm de amantium dementia loqueretur. Simili quoque remedio Chaldæi in Iustina Antonini Imperatoris filia, & Marci Philosophi uxore utendum consuluerunt, ut si eam à gladiatoris amore, quem deperibat, liberare uellent, gladiatoris occisi sanguinem bibendum traderent, & statim cum viro suo concumberet, quo peracto, illicò liberatam legimus. Sed quoniam de amore abolendo Cadmus Milesius, Samocratius Nigidius, & Ouidius, alijque scripserunt, hac de causa præsenti sermoni finem imponimus. Et hęc de fascino, quo ad Philosophorum sententiam dicta sufficiant.

DE FASCINO

LIBER SECVNDVS

LEONARDI VAIRI BENEVENTANI

Ordinis S. BENEDICTI *Canonici Regularis*, *ac sacræ* THEOLOGIAE *Doctoris*:

Qua uia, quibusve principijs de Fascino determinandum sit. CAP. I.

HAVD *facilè credi & existimari potest, rerum omniũ quæ in dubitationẽ ueniunt, quàm arduum ac difficile sit ueritatem inuenire: nã simul atq; nostro intellectui sese res anceps offert, nulla tam paruæ dubitationis uidetur, quin pro, & contra de ea re uerisimiliter disputari posit. Hinc priscorum Philosophorum nonnulli credendi occasionem sumpserunt, nullius rei veritatem reperiri posse, reique cuiuslibet opinionem tantùm, non scientiam haberi. Quæ quidem sententia licet illis temporibus à peritorum hominum scholis fuerit explosa, ac penitus exsibilata, nihi-*

Ardua est veritatis indagatio.

Nullius rei ueritas inueniri potest.

nihilominus quamplurimi de natura conquesti sunt, quod rerum medullas adeo absconditas teneat, mendacijsque refertas nobis ostendat. Quinimo non pauci fuerunt, qui omni veritatem inueniendi spe amissa, sese inertiæ tradiderunt (ut de Democrito & Epicuro scriptum legimus) casu vitam degentes, & omnium euentorũ culpam, naturæ adscribẽtes. Pleriq; etiam rerum difficultate perterrefacti, quidquid dicebatur, credebãt, & in quamlibet sententiam, quasi maris fluctibus trahebantur. Non igitur mirum cuiquam uideri debet, si de rebus quarũ causæ omnem humanã intelligentiã fugiũt, uariç apud Philosophos fuerint sententiæ. Vnde factũ sit, vt inter alia, tot opiniones de fascino haberentur, quot in præcedenti libro ostendimus. Cuius profectò uarietatis ratio reddi potest, quia hominũ intellectus, qui artium & scientiarũ principiũ est, Dei Opt. Max. imago & similitudo est: in quo ut in perfectionis principio & fine complementum reperitur. Et quoniã antiqui Philosophi huius immẽsi & infiniti principij fontem & originem omnis veritatis continẽtis perfectã cognitionem non habuerunt, hinc euenit vt ueluti cæci modò hanc, modò illam, de qualibet re sententiã dicerent, ignotæ immensitatis imaginem præ se ferentes, & ueritatis scopũ non attingentes. At nos quibus Deus suum sermonem manifestauit, qui ab omni falsitate purus est, & omni obscuritati lucẽ affert, de quacunque re certam indubitatamque sententiam eius innixi auctoritati, proferre possumus, ut Lactantius lib. 1. diui. Instit. ait: & Augustin. lib. 2. super Genesim. Maior est sacrę Sripturæ auctoritas, quàm omnis humani ingenij perspicacitas. Et D. Hieronym. in illis verbis Psalm.

Veritatem inueniẽdi spem qui abiecerunt.

Antiquorum philosophorũ allucinatio vnde.

Cuiuis humano iudicio Scripturæ autoritas anteponenda.

Adipe

Adipe frumenti ſatiat te; Pinguißimus eſt ſermo diuinus: quidquid uis ex ſermone diuino naſcitur; idẽ omnes ſacrarum literarum expoſitores profitentur. Hac de cauſa diuino fretus auxilio, ſacrarumq́; literarum auctoritate ſuffultus, ueris quoque Philoſophię principijs utendo, faſcini ueritatem aperiẽdam, & citatas de eo opiniones, confutandas & declarãdas aggredior, ut ueritate patefacta, clarum, apertumq́ue ſit, quàm uana ac malè cohærentia ueterum Philoſophorum principia fuerint, quàmq; à ueritatis ſcopo aberrauerint, qui eos ſecuti ſunt, rerum cauſas propiùs non perſcrutando, ſed tantùm illorum uanæ auctoritati innitendo. Non enim is ſum, qui auctorum uetuſtati, nimia captus credulitate, tantum tribuam, ut de hac re pertractaturus ſupremum, & ualidißimum locum, ab Ethnicorum Philoſophorum auctoritate ſumendum cenſeam: alienæ aſſertioni qualicunque plus fidens, quàm certißimæ rationi. Nam licèt uita functorum ſententijs, neſcio quid ſingularis indulgentiæ debeatur, eiſq́; refragari non liceat, ne per inuidiam, aut inſolentiam id fieri credatur, iuxta illud Ouidianum:

Hieron. mi ſententia de ſumma Bibliorum aucto ritate.

Philoſophis nõ tã tũ tribuendum quantum veritati.

Mortuis non inſultandum.

Paſcitur in uiuos liuor, poſt fata quieſcit:

Ouid. verſus.

Et improbè facere uideatur qui in alieno opere ingenioſus ſit; nihilominus apud me plus ponderis & auctoritatis ueritas ipſa habet, quàm ſpecioſa uoluminum inſcriptio, & auctorũ uetuſtas. Cæterùm ne tempus fruſtrà conteramus, ad rem deueniemus.

De

De causę, ac Fascini diuisione. Cap. II.

Quidquid est, causam habet.

Rerũ causæ diuersę.

Fascinum multipliciter vsurpatur.

Fascinum esse fatetur autor.

ANtequam ad vlteriora descendamus, pro clariori eorum quæ dicturi sumus notitia, non est ignorandum, quòd quidquid in mundo fit, causam, ex qua oriatur, habeat necesse est: quę quidem causa, vel Deus est, vel Angelus bonus, uel malus, aut homo, aut aliquid aliud, à Deo agendi vim habens, aut est causa merè naturalis. Fascinum prętereà multis consueuit vsurpari modis. Primo pro exitiali dęmonum actione: secundo pro magna ludificatione: tertio pro inuidia: quarto pro inuidentia: quinto pro eo quòd aliqui homines ita sunt à natura procreati, ut ex oculis, naribus, faucibus, exitialem qualitatem spirantibus, interitum, aut malum quodlibet inferant: sexto, pro tetro, atque horribili turpis hominis, aut aniculę intuitu, quo timor alicui incutitur; cuius causa ille in morbum incidit: septimo pro qualibet naturali, aut uoluntaria actione, cùm quis certæ rei imaginatione, visu, voce, aut alijs instrumentis obest. His diuisionibus sic notatis, fascinum eße, quemadmodum primo Cap. libri primi ostendimus, non negamus; sed ipsum reperiri iuxta tot tantorumque Philosóphorum auctoritates fatemur. Cęterùm ex qua causa fiat, & sub qua fascinationis distinctione accipiendum sit, demonstrandũ est. Et quoniam in fascini diffinitione aliquæ particulę ipsum constituentes positę fuerunt, quibus natura & uoluntate fieri ostenditur; quæ profectò natura & uoluntas in ultimo causæ, & fascini modo à nobis prænotatæ sunt; idcirco illæ partes priùs examinandæ sunt, quibus cognitis postea facilè colligere liceat ex

qua

qua causa fascinũ nascatur, & sub quo diuisionis membro contineatur. Prima pars fascinum diffiniens, est imaginatio, ipsa, cuius uim, atque naturam discutere, ac uentilare exordiemur.

Imaginationis natura, ac munus declaratur, minimeque per eam Fascinum fieri posse ostenditur. Cap. III.

HVmanus animus dum intra corpus est, idque uiuificat, res quę à sensibus percipiuntur, intelligere nequaquam potest, nisi phantasmatibus intermedijs, quæ per imaginationẽ intellectui offeruntur: et licet nostri intellectus munus sit, nõ res singulares sed uniuersales directè cognoscere, nihilominus illarum rerum cognitionem aßequi nullo pacto potest, nisi phantasmatũ, hoc est particulariũ specierum simulacra sibi repræsẽtet. Si quidem anima, etsi omnia intelligere potis est, cũ omnibus rerũ speciebus imbui apta sit, atq; oĩa fieri, ut in libris de anima Aristot. fatetur; nihilominus quia corporis mole circundata, dũ hic uiuimus, grauatur, sensibus utitur, quorũ usu ad intelligendũ uehementer indiget. Hinc factum est, ut animæ potẽtia, quæ imaginatiua appellatur, in fascini diffinitione poneretur. Vnde bruta animantia, prætermißo naturæ impetu de quo in præsenti agere non intendimus, nihil omnino efficere posse uidemus, si à sensibilium rerum speciebus, in imaginatione existentibus non excitentur. Et quemadmodum animus res præsentes per rerum sensibilium species intelligit, sic eadem, res absẽtes imaginationis uirtute, ueluti ĩ tabula depictas percipit. Dicitur autem hæc animi potentia phantasia à uer-

Animus per phãtasmata res à sensibus ꝑceptas intelligit.

Intellectus per simulacra particularium res vniuersales ꝑcipit.

Anima oĩa intelligere potest.

Bruta animantia à rerum sensibiliũ speciebus excitantur.

Phantasiæ etymon. *à uerbo Græco phantizo, quod est imaginor latine: sensibilium quoque rerum status hæc imaginatrix uis, à nonnullis appellatur: Nam ea quę sensibus percipiuntur, in sensibus externis non remanent, sed ut Themi-* Themistij similitudo de sensuũ perceptione. *stio placet, passio sensuum, est instar celerrimæ percussionis, quæ, nullo uibicis uestigio relicto, transcursim corpus percutit: Imaginationis autem paßio, est ueluti anuli in cera impreßio, quæ anulo remoto, anuli simulachrum seruat. Et hac ratione quia apparentium formarum status est, imaginationis nomen obtinuit: idq́ue non immeritò, siquidẽ ratio aliquando uino, aliquando somno, aut morbo, uel extasi consopitur, & tunc imaginatio uigilat, quæ hominem, ut nociua fugiat, ac sibi commoda sequatur, excitat. Imaginationis uerò natura,* Definitio imaginanis. *ab Aristo. in libris de anima diffinitur, quòd sit motus secundum actum à sensu: ubi motum pro actione sumit, quę subita quędam mutatio est, & pro termino motus, hoc est, pro quantitate, & qualitate, ratione augmenti, & alterationis.* Anima q̃d ex Plat. *Hæc notificatio diffinitioni à Platone de anima traditę conuenit, qui animam motum esse asseruit.* Imaginatio quid ex Aphrodiensi. *Alex. Aphrodisiẽs. quoq; ait: Imaginatio est motio à sensu in actu profecta. Nec ab ea Diuus Damascenus abhorret, qui lib. 2. de fide cap. 7. ita inquit,* Imag. q̃d ex Dam. *Imaginatio uis est irrationalis, quæ sensuum adminiculo operatur. Plato in sophistam dixit, imaginationem esse simulachrorũ magistrã:: Namq; imaginatio multa* Imaginatio quid ex Plat. *phantasmata excogitat, & ob id Plato imitationem phantastico adscripsit: etenim ut pictores rerum imagines penicillo effingentes imaginatione utuntur, sic mi-* Pictorũ & histrionũ cõparatio. *mos, & histriones persona, uoce, ac gestu in scenis diuersos hominum mores imitari uidemus; quos priùs imaginatione*

ginatione concipiunt. Cæterùm bruta animalia non adeo perfectè imaginationem ad imitandum assequũtur, sicut homo; Psittacus enim, & Pica per humanæ uocis auditum, uerba quæ in imaginandi ui tenent, imitantur: verùm non ita ut homines, qui secundum simulacra concepta, materiam ipsam siue lignum, siue metallum sit effingunt, miro artis ingenio cælantes, & exculpẽtes multas formas humanis uisibus spectãdas. Et quia non omnia animalia ad imitandum idonea sunt, hinc aliqui moti fuerunt, ut dicerent, imaginationis loco æstimatiuam uim eis ineſse, quam naturæ instinctum siue motum nonnulli uocant: huius uirtute hirundines nidum, & araneæ telam conficiunt, à nullo præceptore edoctæ; simili quoque modo agni lupum nunquã uisum, & pulli gallinacei miluium formidãt, ac fugiunt. Nec silentio inuoluendum censeo, imaginationem duo obiectorum genera respicere, ac comprehendere, proprium, & præsens vnum; commune, & absens alterum. Proprium obiectum dico, nõ respectu uirtutis imaginandi, sed ratione externorũ sensuum: non enim immediatè à sensibus externis mouetur imaginatio, sed per sensum communem; ideo quæ externis sensibus peculiaria ac propria sunt, eadem ratione ad imaginationem pertinere dicuntur. Et quia externi sẽsus, circa huiuscemodi obiecta, ut Arist. ait, modò ipsorũ uis non impediatur, ac cõueniens distãtia adsit, falli nõ solẽt; imaginatio quoq; talia obiecta reuoluens, ut Philopono, de Philosophi mente placet, falli non cõsueuit. At quoniam externi sensus communia obiecta cõtemplantes sæpissimè decipiuntur, imaginatrix etiã uis in eisdem, quæ nobis repugnantibus, et reclamãtibus sese

Psittatus & Pica quomodo uocem humanã imitẽtur.

Æstimatiua uis loco imaginatricis brutis ineſt.

Animaliũ quorundã instinctus.

Imaginationis obiectum duplex.

Externi sẽsus quando circa proprium obiectũ fallãtur, quãdo non.

obijciunt, Philosopho teste, fallitur. Nã cùm à sẽsuum motu originẽ ducat, & quisque sensus magis à suo principio distet, imaginationis quoq; motus primi sui principij vim exiliorẽ, ac debiliorem participat. Et queadmodũ illi circa figuram fallũtur; nam quadrata si longè spectentur, rotunda vidẽtur, & quæ mouẽtur stare putantur, ut cælum, stellæ: & quæ magna, minima censentur; qui quidem errores ad communia sẽsibilia spectãt, Alex. Aphrodisien. teste: & quemadmodum rudẽtes, ac remos in aquis demersos, fractos, uel tortuosos uidere uidemur, tum ob dictam causam, tum etiã quia medium est diuersum: nam oculus primùm per aerem uidet, qui est rarior, deinde per aquam, quæ est dẽsior, ob quam medij diuersitatem illud accidit; quoniam, ut perspectiui aiunt, radij uisuales ad medium densius, refringuntur: nauigantibus quoque nauis stare, et littora circumagi uidentur: ita imaginãdi facultas, in multos, ac uarios errores, & deceptiones ob talia communia, et remota sensibilia cadit, alba nigra, & falsa uera existimans. hoc deceptionis genere ille falsus est, qui quum quandam pecuniæ summam omni costode remoto uidisset, eamque ne tetigisset quidem, paucis post mẽsibus pecuniæ dominum querentem audiuit, partem pecuniæ sibi ablatam, ac surreptam fuisse; is uerò sibi conscius quòd illã sine arbitris uidisset, licet ne teronciũ quidem cumulo detraxisset, uereri cæpit, ne de se dominus pecuniæ malè sentiret; nève ab eo surreptam pecuniam suspicaretur: ideo quotiescunque illum de hac re cõquerentem, uel de quacunque furti specie loquentem animaduertebat, uerens ne de se intelligeret, ac male opinaretur (ut erat bonis moribus, ac singulari uirtu

Sensuũ error.

Radij visus ad medium densius refringuntur.

Imagine quomodo fallatur.

Mirus falsæ imaginationis effectus.

te

te præditus, modestus, ac uerecundus) falsæ huic imaginationi aßensum præbens, adeo eius corpus totum, ac facies alterabatur, ut miro quodã rubore suffunderetur. Hac de causa Plato in legibus dicebat, affectus homini ueluti neruos, & ceu funiculos quosdam à natura inditos eße, à quibus trahamur; qui quemadmodum inter se contrarij sunt, ita & nos in uarias aduersasque partes distrahũt. Huc etiã illud Senecæ spectat, de hac falsa imaginatione loquẽtis, opinione nos sæpius quàm re laborare: eßeque plura, quæ nos exterreant, quã quę premãt: hoc etiã Epictetus ille Stoicus nobilissimus, ex Zenonis, & Chrysippi decretis significare uoluit, cũ huiusmodi passiones in sapiẽtis animum, qui uitijs omnibus liber est, cadere dixit. Aug. quoque de Ciuit. Dei lib. 9. cap. 4. ad id respexit, cùm affirmauit: Quòd animi uisa quas phantasias uocant, & quorum incursus animus uitare, nec præcauere potest, cùm ueniant ex formidabilibus rebus, necesse est etiam sapientis animum moueant, ita ut paulisper uel pauescat metu, uel tristitia contrahatur, tanquam his passionibus præuenientibus mentis & rationis officium. Et paulò inferius: Accidunt autem animo sapientis, salua serenitate sapientiæ. Potest enim sapiens falsa imaginatione excitari, ac commoueri, etiam si nullius culpæ sit sibi conscius. Quocirca consulerem ut legum periti, non ex faciei motu, & præsertim si ruborem ostendat, coniecturam faciant de quopiam: Nam & Dominus noster secundum faciem iudicare uetuit; facieique rubor rem saluam, ut Terẽtius ait, demõstrat, cùm id ex modesta uerecundia procedat, et ex falso assensu, quem praua imaginationi quis præbuit, uerens

Affectus nobis ceu funiculi inditi sunt.

Opinione sæpius quã re laboramus.

Epictetus, de affectib' humanis.

August. sẽtentia de animi passionibus.

Ex rubore non sæpe coniectura facienda.

ne malè audiret. Verecūdiæ enim diffinitio, hæc esse dicitur: tristitia scilicet de defectu proprio ī præsētia alterius, uel facto, uel apprehēso ex timore, ne qui præsēs est factū putet: ob quā sāguinis motus, et caloris ī eas partes fit, quę maximè laborāt: et quoniā ī alterius p̄sētia facies maximè laborat, ideo erubescit: ac parū refert, an defectus actu fiat, siue factus fuerit, aut immineat, aut nunquā faciendus sit, dummodo dubitetur ne quis uel factū, uel faciendum censeat; ac malè de aliquo iudicet. Verū si quis non uni, sed pluribus falsis imaginationibus aßensum præbeat, huic adeo imaginādi potestas depravatur, ut circa illā partem, ad insaniā redigatur: dico circa partem illā, quia licet actus imaginatiuus corrumpatur, tamē rationis usus non tollitur, sed quodāmodo obnubilatur: hinc fit ut quis sibi multum assumat, ac tribuat, nemini fidē adhibeat; omnesq́; sibi infensos, & inimicos arbitretur: ut accidit ægris q̄bus imaginatio horribilium rerum ex paruis occasionibus oritur. ex aspectu enim paruarū formarum in parietibus, & lupos, et canes subimaginātur, et clamāt, donec huiusmodi spectra inde auferantur; quibus enim imaginationis uirtus corrupta est, ijs absurda quędā obuersātur, confusè de rebus statuunt, prauè ratiocinantur, ac iudicant, perinde namque menti euenit, atque oculis, ubi uarij diuersique coloris conspicilia obijciantur, quibus omnia uel cærulea, uel rubra, flaua, viridia, uel denique eius coloris, quo nitrum suffusum est, apparent; sic ut aliter sese rerum species nobis obijciant, quàm re uera sint. Corrupta itaque imaginatione, uitiatisque organis, multa spectacula se menti offerunt, ob prauorum humorum, ac spirituum agitationem,

qui

Quid sit uerecundia.

Insania fit ex pluribus falsis imaginationibus.

Ægrorum uisa.

Comparatio mētis & oculorū.

qui vltro citroque commeant, sinusque cerebri oberrant. In hãc prauam & corruptam imaginãdi speciem Marcus Billeschus illustrißimi domini mei Cardinalis Granuellani nanus incidisse creditur, homo alioqui non insulsus, neque delirus, qui à multis varijsque noxijs cogitationibus, quibus ex leuibus causis aßensit, agitatur. Quæ prauæ cogitationes adeò in ipso inualuerunt, vt sibi non modò ab omnibus domesticis atque exteris, sed ab ipso illustrißimo domino vehementer timeat, ne vel veneno, vel ferro, vel alia re sublatus sit. In eundem errorem Antonius Sanfelicius Neapolitanus, vir doctrina, & ingenio insignis incidit, quem ego in pueritiæ annis præceptorem habui, qui ab omnibus uenenum sibi parari suspicabatur; omnesque suos consanguineos eo nomine suspectos habebat. Cuius doctißimi uiri uicem non potui non dolere: hinc Lucretius,

Nanus quidam valdè suspicax.

Antonius Sãfelicius mirè suspiciosus.

Nam ueluti pueri trepidãt, atq; omnia cæcis
In tenebris metuunt: sic nos in luce timemus.
Interdũ nihilo quæ sũt metuẽda magis quàm
Quæ pueri ĩ tenebris pauitãt, fingũtq; futura:
Hũc igit̃ terrorẽ animi, tenebrasq; necesse est
Non radij solis, nec lucida tela diei
Discutiant, sed naturæ species, ratioque.

De vano timore versus.

Hæc autem deceptionis origo ex absentibus, & cõmunibus sensibilibus radices sumpsit, quibus in imaginatione receptis assensus prauè adhibitus est, ut in libris de Anima, Simplicius, Themistius, Ioãnes Grammaticus, & Aristoteles fatẽtur. Atq; hinc Alexãder dicebat, ꝙ sæpè hominibus euenit, vt imaginationes suas sequantur, ea de causa, quòd eorum mens atque intellectus perturbatione, siue affectione quapiam veluti ne-

Vnde falsa imaginatio.

bula sopitur & uelatur; putà accedente ęgritudine, aut sopore. Et ut unde discessit nostra oratio redeat, nō alia de causa imaginatio nobis insita est, nisi ut imagines rerum quę per sensum percipiuntur, seruet, easque quoties opus est, intellectui offerat. Nec alia ratione mouet, ac corpus excitat, nisi sub specie honesti uel inhonesti, boni uel mali: atq; hoc pacto ad appetendū uel fugiendum aliquid animus excitatur. Verumenimuerò prætermittendum non est, tria imaginationis nomine nobis significari, eam scilicet potentiā, qua anima apta est imaginari, etiamsi speciem nullam actu imaginetur, simulacrum ipsum conceptum, & huius potentiæ actionem. At si à nobis demonstratum fuerit, nec imaginādi potentiam, nec speciem imaginatam, nec ipsam imaginationis actionem, ea quæ in primo libro adduximus, facere posse, non bene eos sensisse ostendemus, qui ea nobis pro compertis tradiderunt. Vtq; ueritas manifesta ac clara fiat, qua ratione imaginationis potestas, absque specie & actu quidquam agere possit, non inuenio: non enim secus se habet imaginatio specie carens, atque oculus clausus: & sicut dum animal dormit occlusis oculis nihil uidere dicitur, sic anima sine specie, & actu imaginādi, imaginari nihil pōt. Homini profectò, non solùm in philosophia mediocriter exercitato, sed uel paruam quidem rationis micam habenti, uerisimile uideri nunquam poterit, ut quis imaginari absq; specie & actu imaginandi queat. Id siquidem simile esset, ac si quis se sine obiecto uisibili, ac uidendi actu, uidere posse assereret; quo quid insanius & absurdus? hoc enim pacto, non modò cæci, sed graui somno oppressi optimè & perspicuè cernerent. Nec simulacra

Imaginatio ad q͂d nobis insita sit.

Nomine imaginationis tria significantur.

Vis imaginatiua absque specie & actu nihil operatur.

ipsi

ipsi talium effectuũ causa adscribi potest: quoniam, ut Arist. ait, Quæ ars fingit, non res, uerùm rerum simulacra dicuntur: ut Iouis simulacrum, non est Iupiter; ita quæ imaginatio concipit, rerum effigies sunt, & nõ res ipsæ. Preterea imaginatio speculi similitudinem præ se fert, & quemadmodum quæ in speculis relucent non sunt ueræ formæ, sed quædam umbræ: eodem quoq; pacto species in imaginatione existentes, non uiuæ ac ueræ species, sed uiuarum ac uerarum specierum similitudines appellantur: fieri namque nullo modo posset, ut ueræ tantarum rerum formę, in tam parua oculi pupilla reciperentur, ac deinde ad imaginatiuam uim traducerentur. Cumq; ueræ formæ extendi nequeant, nisi cũ ipso subiecto, cui insunt, & eiusmodi species oculi pupillæ totæ insint, à ueris formis subiecta informantibus, à quibus abstractæ sunt, eas plurimùm distare oportet: sicque non ueri lapides, sed lapidum species, ac similitudines in sensum admittuntur, ut in libris Elenchorũ contra Sophistas Aristoteles docet. Similitudines autem quid aliud efficere possunt, quàm res illas quarum formas & effigies reddunt, ostendere ac præ se ferre? Quòd si artis simulacra & similitudines, quæ in speculis apparent, omni & fascinandi, & inficiendi ui carent, eam uim quis similitudinibus in imaginatione conceptis adscribere audebit? Cùm igitur nulla res ultra suam speciem, & naturam quidquam agere possit, qua uia tributum simulacris hisce putamus, ut aliquid efficere queant? Profectò specula & res nitidæ omni mutationis genere carent, ideò similitudines in illis relucentes, & abeunt, & redeunt, sine ulla speculorum, & nitidarum rerum mutatione: quòd si specula

Ars nõ res ipsas, sed simulacra fingit.

Exemplũ de imaginatione ad speculum.

Sensus non rss ipsas, sed rerum species percipit.

animata, ac uitalia essent, rerum imagines ipsis, sicut cæteris animantibus offerrentur. Quocirca cùm similitudines nihil amplius efficere possint, quàm sese spectantibus & meditantibus offerre, idque in proprio, & non in alieno corpore, credi nequaquam potest, ut per eiusmodi imagines & similitudines ea fiant, quæ Auicenna cum cæteris de ui imaginandi blatterat, tum fascinum, tum alia miracula illi adscribendo; quæ à uera philosophia maximè abhorrent. Quòd autem per imaginationis actionem, nec fascinum, nec quidquam aliud simile fieri queat, luce clarius ostendemus: si quidem, ut sensus ad rem, quæ per sensum percipitur, se habet; sic actus imaginandi ad rem imaginationi congruentem spectat: sed unus numero est sensus actus cum re sensibili, ergo unus etiã imaginationis actus erit, & rei quam imaginari contingit; unus enim actus fit ex agente, & patiente uno. At res quæ imaginationi obijcitur, actum nullum alium habere potest, quàm sui speciem offerendi: igitur nec fascinare, nec aliud extra se imaginatio facere potest, eoq; magis id corroboratur, quoniã imaginationis actus in eo qui imaginatur manet, minimeq; in aliud exterius subiectũ trãsire potest. Illa nãq; actio in externum patientem transire reperitur, quę in agente non remanet: actus uerò imaginandi, in eo qui imaginatur persistit, ergo non uerisimile existimari potest, ut meorum oculorũ uidendi actus alijs quoque à me communicetur: pari igitur modo, nec mea imaginatio in alterum migrare poterit. Et sicut nihil prohibet quin plures eandem rem uidere possint, sic nihil uetat, quominus eandem imaginẽtur. Verùm non unus imaginandi actus erit, sed plures imaginantes: & quemadmodum

Opinio Auicennæ de imaginationis uirtute confutatur.

Vnus act' de uno agẽte & patiẽte fit.

Imaginãdi actus extra imaginantẽ non transit.

Cõparatio imaginationis & oculorum.

modum oculi colorata, quę intuentur, non alterationibus afficiũt, ita imaginatrix uis rem nullam, cuius similitudinem & imaginem contempletur, immutare aut inficere potest. Solus enim Deus Opt. Max. res quas cernit, eo pacto quo suæ diuinæ libet uoluntati, permutare ualet: nec ea ratio de iratis imaginantibus quidquam ualet: tantum enim abest, ut irati, transeunte actione aliquid efficere ualeant, ut ne eorum quidem recordetur, quæ in ira, furore, perturbatione, & omnino in uehementibus animi affectibus imaginati sunt. Quod etiam euenire solet ijs quos curæ, sollicitudinesq; distinent, uel quos ebrietas, timorve inuaserit, uel quos demum uehemens aliquis affectus occupauerit. Non parũ profectò esset si qui res intuerentur & contemplarentur, eas possent tales reddere, quales sensu & imaginatione illas perceperunt. Quinimò imaginatio, ut imaginatio est, nõ solum in alieno, uerùm ne in suo quidem corpore quidquam immutare potest. Et licet in lib. de motu animal. Aristot. dicat, Imaginationes, sensationes, & notiones alterare: & in lib. de Anima, idem corroboret: nihilominus id nõ intellexit, ut imaginationes sunt, sed potius ut res, quas imaginamur, aliquid molestiæ uel iucũdi habent annexum, quod uel appetendum uel fugiendum cẽseamus: ex qua re spirituum motus, qui est imaginationis instrumentum, alteratur. Rerum itaq; formidabilium imaginatio non secus nos mouere potest, ac pictura, quæ non per se, sed per accidẽs nos commouet, quatenus rem lætã aut tristem præ se fert: & ita appetitum mouet, qui spiritus & humores excitat. In olfactu autẽ & gustu, ac tactu longe secus fit, quoniã hi sensus non tantũm species sensibiliũ rerum, ut uisus &

Nil p imaginationẽ irati homines efficiunt.

Imaginatio nihil immutat.

Arist. locus quomodo intelligẽdus.

Formidabilium imaginatio similis picturæ.

audi-

auditus, sed qualitates sensibiles cum spiritualibus speciebus percipiunt. Non. n. ciborum spiritualibus speciebus, sed ipsismet cibis nutrimur; ita non rerum speciebus alteramur, sed illarum qualitatibus, ex quibus cõpositi sumus. Vnumquodq; namque ex quibus constat, ijs alitur & sustentatur: preterea rerum simulacra in imaginatione formata, tenuem & spiritualem essentiam habent; nec intra se existentia quispiam amplecti, aut euitare studet, sed res duntaxat quarum imagines sunt. Fatui enim tantummodò rerum imagines pro rebus ipsis ducunt, & ijs speciebus quas animo conceperunt, inuixi, tumidi, multa sibi pollicentes incedunt, ut sunt illi quos diximus imaginatricem vim corruptã habere. Non enim plus virium alicuius rei simulacrum habet, ut dicebamus, quàm Imperatoris imago, quæ sicut nihil agere potest preter quàm illũ à quo extracta & formata est, referre; sic rerũ similitudines, nil penitus efficere ualent preter quàm rerũ imagines ostendere. Equidẽ non malè cum Chemicis agi arbitrarer, si spetie auri, quæ nihil reale est, per imaginandi uim uerum aurum adipisci possent. Si eiusmodi virtute imaginatio prædita esset, profectò nec ægroti, nec pauperes, nec literarum imperiti, nec cuiusquã rei egẽtes reperirentur; cùm eorum quilibet, imaginandi ui optata cõsequi posset. Quod cùm re ipsa nõ experiãtur, quæ insania est, ut tot tantaque miracula imaginationi nonnulli adscribant? Si quis uerò dicat idæas in diuina mẽte res exteriores afficiendi uim habere, similiq; modo rerum simulacra & ideas in nobis eandẽ uim poßidere poße: respondemus, similitudinẽ nihil ad rẽ facere, quoniã idæa in Deo non est, sicut in nobis accidẽs. Nec

Spirituales ciborũ species nõ nutriunt.

In imaginatione formata tenuẽ habẽt essentiam.

Alcumistæ irrisi.

Ideæ in diuina mẽte existẽtes à nostris simulacris differunt.

quenquã mouere debet, quòd sigilli imago imprimendi uim habeat, quasi eodem modo species in imaginatione contentę, res exteriores imprimere queant: non enim sigillum, ut imago est, aliam imaginem imprimere potest, sed ratione duritiei, & partium inæqualium duntaxat. Quòd si sigillũ per se, & sua natura, ut imago est, aliam imaginem parere poßet, non utique quidquã referret, ex qua materia, dura an molli, sigillum conflaretur. Quod cùm permagni intersit, omnia quæ de imaginatione obiecta sunt, facilè ruunt: ut illud, Quòd imaginatio sit ueluti quoddam sidus, salutares uel perniciosos radios diffundens, & cui omnia sublunaria, tanquã cælesti intelligentię pareant, quòd cõceptus uolatiles reddantur, & ad planetas ferantur, quòdq; innumera mala & calamitates inde mortalibus inferantur. Qui enim has nugas sibi finxerunt, & rationis, & philosophiæ, & omnium bonarum artium expertes, ac diabolica superstitione imbutos esse fateri oportet.

Sigillum quomodo imprimendi uim habeat.

Quo pacto per imaginandi uim occulta & futura præsciri queant. Cap. IIII.

NOn paruus Philosophorum numerus, atque inter alios Aristoteles in libr. de Insomnijs, & de Diuinatione per somnium, corporis naturam ad futurorum præcognitionem conducere opinatus est, & imprimis melancholicis diuinandi uirtus attributa legitur. Quoniam, etsi melancholicus humor, frigidus, siccus, & ater existat; nihilominus magnam quandam spirituum commotionem continet, ideoque tantò cęteris humoribus concitatior, quantò corpora densa si accendantur, feruentius urunt, quàm corpora rara: & hinc est, quod ab Arist. in Problematibus aliquid

Virtus diuinãdi melancholicis attributa.

diuinum melancholicorum imaginationi inesse futura præsagiens putatur; cuius generis homines in Hispania reperiri ab oculatis testibus accepi, qui quibus in partibus aliqua lateant, certò cognoscant: nec eos latet, quot paßibus terra fodienda sit, quò aqua vel quid simile latens inueniatur. In Ethicis etiam melancholicorum recta & subita esse insomnia asseritur, & sapientibus & prudẽtibus diuinãdi virtus inesse à Philosopho ostẽditur. Diuus quoque August. in lib. 12 super Genes. c. 13. Animam humanam, vt à sensibus abstrahitur, diuinandi vim habere dicit. Diuus Gregor. 4. lib. Dialogorum animæ intellectiuæ hanc diuinandi vim adscripsit. Hic etiam per quietem magis quàm per vigiliã diuinationem exerceri affirmat: tum enim variç sensuum motiones cessant, quæ eiusmodi animæ potestatem, vt Diuus Thomas ait, perturbare cõsueuerunt. Quo fit vt melancholici quibus purgatiores rerũ species insunt, clariorem diuinandi facultatem habeant. At quoniam diuinandi vires secum imaginatio ipsa affert; ideò aliqua re excitante indigere animam autumant. Cui quidem tot terrarum anhelitus, & euaporationes, locaque tam diuersa, tamq; inter se situ suo, ac cœli positura distãtia conducere arbitrantur: quibus hominum animi ad futurorum præsagia, suapte vi proni, & ad diuinum furorem procliues cõcitentur, & veluti diuinitus inflammentur. Sicut de Atheniensi Musæo, de Euclo, de Epimenide, atque alijs multis memoriæ proditum est. Nec solùm cęlestis, & terræ halitus ad hoc iuuat, sed herbæ, lapilli, vt de Chelonia Plin. narrat: et sic de herba Theangelida, quæ in Syriæ Libano, Cretæ montibus, Babylone, & Susis Persidis nascitur, qua pota Magi diuinant.

Prudentibus diuinandi virtutem dat Arist.

Humanus animus diuinãdi vim habet.

Diuinatio per quietẽ potius q̃ per vigiliã fit.

Diuinatrix virtus per quæ iuuetur.

Diuinandi vim qui habuerunt.

Herbę diuinationi cõducentes.

Verùm

Verùm non solùm hominum, sed brutorum imaginationi hanc diuinandi potestatē inesse asserunt, quoniam intempestiuus galli cantus, & frequēs cornicis crocitatio futuram pluuiam denunciant. Cæterùm pro clara huius difficultatis notitia scire oportet, duplicem diuinationem reperiri, quarum vna naturalis, supernaturalis altera appellatur: de prima D. Greg. Nicenus ait, Quòd hæc vis, quo est purior, & puriora phantasmata sibi fingit, eo diligentius diuinandi per somnia assequitur officium: quæ diuinationis species fallax, incerta, & erroribus plena est. Neque mirum est, si ex eis quę melancholici somniāt, cogitant, & loquuntur, verum nonnūquam aliquid euadat. Quis est enim, vt ait Cic. lib. 2. de Diuinatione, qui totum diem iaculans non aliquando collimēt? Non enim homo, vel creatura aliqua, ea quæ contingenter futura sunt, ex imaginandi virtute, determinatè præscire potest: unde illud, Nescia mens hominum fati sortisque futuræ. Sic namque in Ecclesi. scriptum legimus: Multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo modo scire potest. Et Esa. Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quoniam dij estis vos. Existimarem tamē hominem (si modo diuinæ sapientiæ radium, quem Deus Opt. Max. primis parentibus humani generis contulerat (retinuisset) & multorum euentuum causas certas, quas nunc coniecturis, ijsque sæpe fallacibus aßequimur, & signa multa, apparētia, & aliquid præsagiētia, certius, & manifestius animaduersurum fuiße. Sed postquā intellectus hominum, parentum casu obscuratus est, rerum causas mentis acie hebetata, veluti solem per densas tenebras cōtemplamur. Sic paucas res intelligimus, signa

Galli cantus intēpestiuus, pluuiam denuntiat.

Diuinatio duplex.

Naturalis diuinatio quid & quantum fallax.

Futurorū ignarus est homo.

Si Adam non peccasset, nō pauca futura cognosceremus.

pau-

paucissima aßequimur, & quid portendant præposterè sæpissime pronunciamus. Nec brutorum imaginationi huiuscemodi vis adscribi potest, si quidem illorum cantus, & corporis gestus, non futura, sed præsentia designat, cœlestem videlicet influxum humidum, quem naturæ instinctu in suis corporibus illico orientem excipiunt; qui hominibus non ita manifestus apparet, nisi nubes, & alia pluuiam concomitantia adsint. Quæ signa brutis minimè neceßaria sunt. Formicæ enim pluuiam futuram præsentientes, frugum grana in cauernas portare conspiciuntur, verentes ne grana aqua madefacta corrumpantur: hæc pluuia respectu nostri & non formicarum futura dicitur. Nam in illarum corporibus, ob vapores ad aeris regiones delatos, tanquam à præsente pluuia alteratio fit. Nam sagax, & prouida natura in superfluis non abundans, & in neceßarijs non deficiens, eiusmodi naturæ varietate formicas dotauit, quò alimentum ad corporis nutrimentum seruarent. Idem quoque de gruibus autumni tempore ad calida loca remeantibus, de hirundinibus veris tempore ad nostras regiones venientibus, de ficedulis, coturnicibus, alijsque volucribus locorum mutationem facientibus dicendum reor. Non etenim ver, autumnum, aut hyemem præsentiunt, sed secundum sui corporis alterationem à natura factam ob caliditatem, aut frigiditatem, vel aliam nos latentem qualitatem eiusmodi vicissitudines norunt. Quod in multis experimur, quæ quasi furore percitæ pluuia imminente animalia molestius infestant. Diuinatio supernaturalis verò est illa, quam Prophetiam in sacris litteris nuncupamus, de qua nunc disserere non intendimus,

Bruta, præsentia non futura designant.

Formicæ solertia.

Naturæ prouidentia.

Gruũ aliarumq; volucrum instinctus.

Muscarum natura.

Diuinatio supernaturalis.

dimus, cùm sit præter nostrum institutum. Sufficit eam certissimam esse, quæ in vigilia, & frequentissimè in quiete fit. Vnde in Iob legitur: Per somnium in visione nocturna quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit Deus aures virorum, & erudiens eos, instruit disciplina. Et Ioelis auctoritate idem asseritur, Effundam de spiritu meo super omnem carnem, & iuuenes visa videbunt, & senes somnia somniabunt. Ad illud verò de auibus dicendum puto, quòd Deo auctore possunt aliqua futura prædicere. Hierem. enim inquit, Miluus in Cœlo cognouit tempus suum; turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: & D. Thomas in opusculis; si quis cornicula frequenter crocitante, mox futuram prænunciet pluuiam, non est nugatoriæ superstitionis. Similiter etiam si quis ex subito volatu auium, denunciet ibi latere insidias, vnde aues volando recesserunt, non est superstitio, sed humana industria. Nec absolutè obseruatio cantus, & volatus auium ab Ecclesia interdicitur; sed superstitiosa quædam obseruatio de volatu, & garritu prohibetur, & sub anathematis vinculo ab Ecclesiasticis sanctionibus damnatur. Vanum igitur est illud quod de futurorum præcognitione imaginatrici virtuti adscribebatur; nisi velimus affirmare, quòd Dęmones futura præscientes, hominibus manifestant; qui quidem homines futurorum euentuum cognitionem profitentes, dęmonum cultum nobis turpissimè proponunt, miris modis nobis imponendo, ac futurorum præcognitionem modò imaginationi, modò dęmonibus adscribendo. Sed postquam per imaginationem futura, nullo pacto prænosci posse

Iob verba de visionibus p̄ somnium.

Ioelis autoritas.

Hieremias de auium præsagijs.

Augurium quomodo dānatum.

Diuinatio non imaginando sed dęmonum auxilio fit.

osten-

oſtendimus, operæ pretium eße duxi, vt inquiramus, an dęmones talia futura præſcire poſſint.

Non per acutas imaginandi uires, ſed per Dæmonum auxilium, occulta quædam, & futura præſciuntur. Cap. V.

Cognitio per ſpeciẽ & ſimilitudinem fit.

ADmodum vulgata & ventilata eſt apud Philoſophos ſententia illa, omnem ſcilicet cognitionem per ſpeciem, & ſimilitudinem quandam fieri. Quocirca quando Deus Opt. Max. ſimplices mentes, quas Angelos appellamus, creauit; rerum omnium quæ natura conſtant, ſpecies, & ſimilitudines illis indidit. Et ſicut rationes Ideales in diuina mente ſunt validiſſimæ procreandi cauſæ, quo ad materiam, & formam; ita ſimilitudines, quas dęmones innatas habent, à dęmonum intellectu ad materiam & formam cognoſcendam effluunt: Si quidem de potentia ad actum nihil reduci poteſt, niſi per rem, quæ actu eße habeat. Hac de cauſa ſimilitudines & rerum formas, veluti actus quoſdam Dęmonibus ineſſe aßerendum eſt; quibus res omnes, tum vniuerſales, tum ſingulares cognoſcant. Nec intellectu agente, veluti nos, illi egẽt: Non enim eorum cognitio, à ſenſibus, quibus omnino carent, ortum habet. Quinimo infimus Dęmon per ſpecies innatas, & quidem per vnam tantùm ſpeciem plura de naturalibus rebus cognoſcit, quàm homo per plures ſpecies acquiſitas. Et pro clariori huius dubitationis intelligentia, illud quoque in lib. de Cauſ. notandum eſt, Vniuerſaliores formas à ſuperioribus intelligentijs contineri. Vnde ſicut Dęmones qui è ſuperioribus

Deus Angelis omnium rerũ ſpecies indidit.

De potẽtia ad actum nil reducitur niſi per rem actu exiſtẽtem.

Dęmones intellectu agẽte non indigent.

Dęmõ quo pacto homine perſpicacior.

Vniuerſaliores formæ a ſuperioribus in telligẽtijs cõtinẽtur.

bus

bus ordinibus ceciderunt, rerum imagines magis uniuersales habent; ita & plura cognoscunt, & ad maiora capessenda sunt reliquis aptiores. Quando enim quispiã ingenij perspicacitate pollet, atque intellectum acutiorem habet; ex paucis principijs ad diuersas ac varias conclusiones descendit; ad quas hebetioris ingenij venire non queunt, nisi per innumeras inductiones, & per singularia principia cõclusionibus apposite accommodata. Insuper animaduersione dignum censeo, futuri cognitionem duobus modis considerari; primo vt res, quæ futura est, extra causam à qua pẽdet, cognoscatur: qua ratione illi duntaxat conuenit, qui est supra omne tempus, vt Deus. Cuius cognitio omnem temporis ordinem excedit: ea enim, quę per omnem temporis cursum peracta sunt, vel peragentur, diuino aspectui eo modo quo præterita sunt, vel futura subduntur, partesque temporis, præsens videlicet, præteritum, & futurum ad nos, & non ad diuinam mentem referuntur. Secundo, vt res futura vim quandam in sua causa à qua oritura est, habet: quæ quidem causa, aut certa, & immota est; aut certa, sed motui obnoxia; aut incerta & indeterminata. His breuiter prætactis tres conclusiones in medium affero; quarum prima est: Dæmones ea futura quæ certas & immotas causas habent, cognoscunt; vt eclipsis tempus, planetarum coniunctionem, atque aliorum, quæ superiorum corporum motum comitantur, in quibus non modo causæ certæ, immotæ, ac necessariæ sunt, uerùm quodlibet impedimentum ab eis abest: quę quia hominibus nota sunt, Dęmonibus longè notiora esse possunt. Secunda, quę certam causam & motui subditam habent;

Præsagia duplici modo considerantur.

Temporũ distinctio. nobis non Deo ascribitur,

Triplex cõclusio ex triplici cã. Quę cognoscant Dæmones.

bent; certam, quia natura ad unum determinatè respicit; motui subditam, quia multis modis impediri possunt, à Dæmone sciri, sed non per omnimodam certitudinem poßunt; vt exempli gratia: ager, qui licet pinguis, & optimè satus, ac cultus sit, impedimenta tamen non pauca habere potest, quæ fructuum ubertatem tollere ualeant: quæ, quia Deo iubente accidunt, cuius Dæmones uoluntatem ignorant, idcirco illi tantùm nota erunt, cui Deus manifestare dignabitur. Dæmones autem non nisi per quandam coniecturam ea consequi ualent. Tertia, quæ incertam, & indeterminatam causam habent, à Dæmonibus prænosci non possunt: quæ profectò ea sunt, quæ ab hominum uoluntate oriuntur, quorum cognitionem Deo tantùm adscribimus, & ei cui Deus huiusmodi cogitationes aperire uoluerit. Cuius rei ratio est, quia dæmonum, & aliarum rerum creatarum cognitio à tali re ddependet, quæ quia in sua causa incerta est, nemo eam certè, atque omnis erroris specie remota, cognoscere potest, nisi qui rerum omnium causa, & ueritas ipsa existat: sicut est Deus; qui non secus contingentia, ac neceßaria certißimè nouit: & hinc est, ut prædictio, diuinatio nuncupetur, quia Dei tantùm actio est. Cæterùm Dæmones superbia inflati hoc in se ipsis habere, conantur ostendere; quibus si talium futurorum cognitionem quis adscribat, Deo Optimo Maximo iniuriam faciat. Et nihilominus quatuor modis eiusmodi futura præscire Dæmones possunt; ingenij acumine, temporum experientia, dolosa industria, bonorum Angelorum indicio. Ingenij acumine, quando Dæmones nostram uoluntatem perscrutantur, eamq; etiam

Dei uoluntas Dæmonibus occulta.

Voluntas hoīs Dęmoni non patet.

Cur prędictio, diuinatio vocetur.

Futura quatuor modis Dæmones cognoscunt.

etiam explorant, & eius procliuitatem inuestigant, quæque illa sint quibus delectamur, quæve ad delectationem prosequendam impellere, quæve retrahere nos poßint, rimantur. Temporum experientia, quia ex his causis, ac rationibus hos, atque illòs effectus oriri experti sunt. Dolosa industria, cùm in se ipsis aliquid agere statuunt, deinde aliquem hominem adeunt, cui rem illam ab alio quopiam faciendam se præuidere simulant, seq́ue illius causam non esse demonstrant. Bonorum Angelorum indicio, quando Deus, ab eis, quibus aliqua peragenda aperuit, Dæmones discere sinit. Sunt & alij modi, quibus futura prænoscunt. Nam per quædam signa ægroti mortem acutius, & subtilius, q́uàm medici præsagiunt. Deo quoque uolente, homines uarijs morbis ac ægritudinibus inficere possunt; & insuper rerum uictui neceßariarum egestatem, ac penuriam inducere. Prophetarum præterea dicta uerius, & propius quàm homines intelligunt: ex quibus, quia multa, quæ futura sunt eliciunt, ea hominibus, quibuscum familiaritas sibi intercedit, communicant. Si quidem hominum corporibus, & potentijs animæ corpori affixis, illabi Dæmones possunt atque ibi potentiam specierum conseruatiuam mouẽt, ut ita species, & imagines in imaginatione recentes appareant, ac si tunc principium sentiendi ab externis rebus, immutaretur; idq́; non modò in dormientibus, sed etiam in uigilantibus accidit. Quo quidem modo, ita futurarum rerum simulacra illis repræsentare student. Tunc homines illi tetra Dæmonum familiaritate turpiter coinquinati, omnibus persuadere conantur, se imaginandi ui, uehementi desiderio addito, huiu-

Alij futurorum cognoscẽdorum modi.

Multi quæ per Dæmones cognouerũt, imaginatiõi tribuunt.

scemodi futura, naturæ uia prænoscere. Nec Dæmoniacos impostores pudet, cùm ipsi in uolũtario errore, tanquam fascinati persistant, nobis quoq; in iis modis imponere, quò talium futurarum, & abditarum rerũ præcognitionem imaginationi adscribamus. Per hæc enim principia uehementer confidunt, paulatim homines ad uarios errores, ac superstitiones pertrahi posse: quorũ impudentiam, ut pro uiribus meis exploderem, ad hæc scribenda motus præcipuè sum. Vtque intactum nihil relinquatur, aliam dubitationem de Dæmonibus ipsis ratione imaginationis examinandam aggrediar.

Dæmoniacorũ imposturæ.

Nonnullos hominum conceptus, & rerum simulachra, & cordis affectus Dæmones cognoscunt: de quibus superstitiosi quidam edocti, per uim imaginatricem eam cognitionem se assecutos iactitant. Cap. VI.

QVemadmodum Deus Opt. Max. humanæ naturæ arbitrij libertatem dedit, cui nulla, nisi diuina potestas præest: ita eius cognoscendi uirtuti, abditiorem, & occultiorem partem quandam largitus est, ad cuius intima penetralia, nulla cognitio, præter diuinam penetrat. nec propterea humana mẽs effugere potest, quin Dæmones nonnullas cogitationes suas prænoscant. Vt autem huius quæstionis perfecta notitia habeatur, prænotari oportet, nostri cordis sensus duobus modis considerari. Primo ut præsentes, atque actu in intellectu sunt; secundo ut futuri. Futuri conceptus, ac uolendi actus non modo à Dæmone, sed ne ab ipso quidem homine præintelligi queunt. Quoniam effectus futuri, qui

Cordis sensus duplex

à cau-

à causa, quæ impediri potest oriuntur, certa notitia nõ præcognoscuntur, nisi ab illo qui omnium impedimentorum genera nouit. At quoniam futuri nostri sensus à nostra uoluntate nascuntur, quæ sua natura & uariabilis est & inconstans: cuius quidem inconstantię causas, nec Dęmon, nec ipse homo, sed Deus duntaxat nouit, solus Deus futuros hominum sensus intelligere potest. Impedimenta uerò nostræ uoluntati impendentia ex diuersis causis contingere consueuerunt: ex diuino scilicet motu, ut in Prouerb. Cor Regis in manu Domini, & quocunque uoluerit, inclinabit illud. Hęc diuina motio futura, nemini prorsus nisi Deo soli nota esse potest. Accidunt etiam impedimenta ex futura corporis alteratione, ex passionibus, monitis, pręceptis, & alijs futuris contingentibus; ex quibus futurorum sensuum nostrorum, certam intelligentiam aßequi non possumus. Pręsentes autem animi sensus, qui in nobis actu reperiuntur, duplici discrimine considerantur. Primo seorsum, & omni respectu ac ratione remota, quo quidem modo cùm internè uolũtas nostra preterquàm à Deo, à nemine moueri queat, eiusq; nutui uoluntatis motus immediatè subsit, Deo tantùm, & ipsi homini cogitanti, & uolenti proprius animus notus esse potest. Secundo, ut ad corporis signa referuntur, quę in externis animi motibus, ac desiderijs, corpus diuersis afficiunt modis. Qua uia non solùm Dęmones, sed peritißimi quoque Medici de ęgrotorum pręsertim affectibus conijcere solent, ut bene Galenus in tract. de medendis animi morbis tetigit, sic Leptini Mathematici, uel, ut quidam tradunt, Eristrati Medici solertia, infandum Antiochi amorem pia dißimulatione

Hoĩs uoluntas soli Deo patet.

Causę uoluntatẽ nostrã impedientes.

Quotuplex sit pręsens animi sensus.

Animus p externa signa cognoscitur.

amor ex pulsu detectus.

tione contectum in Stratonicen nouercam detexit: iuxta enim adolescentem sedens, brachiumq; eius dissimulanter apprehendens, animaduertit ad introitũ Stratonices pulsum uenarum uegetiorẽ esse, eaq; egredien-te languidiorem; iuuenẽ pręsente nouerca rubore perfundi, rursus ea absente pallere; spiritum modò increbrescere, modò excitatiore anhelitu subinde recipi, ex quibus facilè ad ipsam ueritatem penetrauit. Qua de re D. Aug. in lib. de Dęmonum diuinat. sic ait, Aliquando dæmones hominũ dispositiones, non modò uoce prolatas, uerumetiã cogitatione cõceptas, cùm signa quędam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt. Animaduertendũ quoq; est id quod Arist. in lib. de Phys. aud. inquit, Humanã animã intelligẽtiarũ, & abstractarũ mentiũ ultimã esse: et quod in Theologorũ scholis clarũ est, superiores mentes, qui Angeli appellãtur, uniuersalioribus speciebus quàm inferiores pręditas esse. Vnde infertur, quòd inferioris intellectus species à superioribus intelligentijs cõprehendi possint: inferiores uerò Angeli superiorũ Angelorũ species non cõprehendunt; quo fit ut cùm dęmones naturę ordine hominum intellectu superiores existãt, species quibus noster intellectus informatur, cognoscant. Quę profectò specierũ cognitio absolutè & simpliciter cõsideratur, & non quantũ ad affirmationẽ aut negationẽ, nec quantũ ad electionẽ uel fugã. Nã à dęmonibus huiusmodi species minimè cognosci possũt, quoniã specierũ fuga, uel electio, quę usus uoluntatis nostrę dicitur, hoc est actualis cogitatio, & rerũ in mẽte discursus; nõ nisi à Deo, & ab homine cogitante intelligitur. Et rõ est quã tetigimus; nã uolẽdi & cogitãdi actus à uolun-

Aug. de dæmonũ præcognitiõe, sententia.

Aĩa abstractarũ mentium ultima ex Arist.

Superiores intelligentiæ vniuersalioribus speciebus quàm inferiores prædita sunt.

tate oritur, cuius motus ex summo rerũ ordine dependet, qui quidẽ ordo summũ bonũ est Volũtas aũt nõ alicuius particularis, sed uniuersalis boni, tanquã proprij obiecti est. Id uero ꝙ infra superioris causę ordinẽ subest, inferior cã cognoscere non põt, sed tantũ superior cã mouẽs, et ille qui mouetur; vt exẽpli cã: Ego sub Cardinalis dominio sũ, Angelus mei fratris filius sub mea est potestate: si quid Cardinalis immediatè meo nepoti imperabit, ego scire nequeã, sed solũ Angelus & Cardinalis. Ita hominũ intellectus, etsi naturę ordine est dęmone inferior; nihilominus si quid Deus, qui rerũ omniũ supremus est Dominus, immediatè ei imperabit, dęmõ scire nõ poterit. Et hoc pacto intelligendum puto illud D Tho. in q. de scien. Dei, art. 12. ubi ait, ꝙ intelligere est quasi intus legere. Et in par. 1. q. 57. art. 4. ad 1. Volũtas est claudẽs sua secreta, quo ad affirmationẽ uel fugã actus uolẽdi. Quidã asserere conabãtur, dęmones nõ modò nostros sẽsus ac rerũ species in mẽte receptas absolutè, sed ẽt quantũ ad affirmationẽ uel fugã cognoscere. Inter quos Iul. Cęsar Albinus Beneuentanus acutissimus iuuenis, mihi in ea ciuitate philosophiam ac sacrã Theologiã publicè interpretãti, sic obijciebat: Dęmones aię nostrę substantiã cognoscũt, sed illius sensus quocunq; modo sumãtur, sunt ipsa aię substantia notiores, quia sunt eius effectus, qui sua cã cognitu sunt faciliores: ergo dęmones aię naturã cognoscẽtes, illius quoque sẽsus percipiũt: rursus peccatũ est character dęmonũ, qui quidẽ character cũ in mẽte cõcipitur, dęmones nõ latet. Primã rõnẽ sic enodabam; In aïa duplex actio reperitur, quarũ transiens una, & immanẽs altera dicitur. Effectus trãsiẽs est, cum ab aïa ad corporis partes

Bonũ vniuersale proprium voluntatis obiectum.

D. Tho. in q. de scien. Dei explicatur.

Cæsaris Albini argumentorum resolutio.

Antiochi Aïæ actio duplex.

 transit,

transit, & ita ob pallorem uel ruborem qui corpus affi ciunt, timorem & uerecundiam conijcere possunt, quę in anima concepta sunt. Immanens autem actio, nullo modo à dęmonibus sciri potest: quia ipsa anima est occultior & abditior. De prima itaque actione, quę est anima notior, ratio militat. Vel dici potest, quod ea ratio in actione naturę locum habet, non autem voluntatis: naturę enim actio se manifestare nata est: et sicut eius substantia abscondi nequit, ita nec eius effectus. Voluntaria autē actio secus est, quia sicut liberè in lucē exit, liberè quoque se occultare potest. Altera dubitatio de charactere, intelligenda est de illo, qui in hominū frontibus imprimitur, id est quando peccatum cōmittitur absque rubore. Nec illud obstat, Quòd dęmones in extremo iudicio de secretißimis sceleribus homines accusabunt; quia, vt ait Iob; reuelabunt cæli iniquitatē illorum: hoc est cęlestes personę, qui sunt Angeli boni, et de peccatis ab Angelis qui fuerunt ad custodiam deputati reuelatis, dęmones, peccatores arguent. Prętерea iusti et pij homines cū Christo in aere, mali in terra erūt; ideò dęmones perfacilè damnatos cognoscent, et de peccatis accusabunt. Si quis uerò ex Dionysii verbis instaret, spirituales substantias sua natura eße specula, at in materiali speculo sic fit, ut quoties unum alteri opponatur, non modò ipsum, sed quidquid in eo relucet, referat; ergo cùm spiritualia specula, ut sua natura dęmones sunt, maiorem similitudinem habeant, & expreßiorem ac clariorem ostendant, quàm materialia, et corporea, uidetur quòd dęmones animam nostram intuentes, nō ipsam duntaxat, sed totum quod in ea reperitur, cognoscant, idq; ita roboratur. Oculus meus nihil in me videre

Quod demones in iudicio secreta criminia hominib. obijcient.

dere

dere potest, quod alterius quoque oculus non cognoscat; sed corporei oculi cum obiecto corporeo eandem rationem habent, quam oculi spirituales respectu obiecti spiritualis: igitur sicut oculum mētis meæ cordis arcana non latent; ita nec dæmonū oculos præterire possunt, qui spiritualia specula sunt. Hæ difficultates dissoluuntur; maxima namque differentia est inter speculū materiale, & corruptioni obnoxiū, & uoluntarium simplex & permanēs. Materiale speculū species quas suscipit, ex necessitate refert; uolūtariū uerò longè secus se habet: inest enim illi clauis quædam quæ arbitrij libertas appellatur; quæ ad suum nutū aperit, & celat, quidquid libet. Ideò similitudo ad rem nō facit. Eadem quoque responsione corroborationi de oculo fit satis: nō enim oculi corporis & spiritus eadē ratio est, quin maximè differunt. Ille siquidem omne quod in alio est non potest non uidere; hic autē cùm sit uoluntarius ac liber, claui sua, q̄ ē arbitrij libertas, suo arbitratu claudere potest, ne quod ipse uidet, quisquam introspiciat. Et hoc est quod D. Aug. super Gen. ad litterū dicit: sicut substantiæ corporeæ aliqua uelamenta habēt, quibus se alienis aspectibus occultant, sic & in his spiritualibus suo modo intelligendum est. Nam quamuis plicarum diuersitates ex diuersarum naturarū cōpositione in eis non sint, potentiarū tamen gradus reperiuntur; quorum respectu quædā animę intima dicūtur, ut quę superiores potentias respiciunt, secundum quas anima in seipsa magis recolligitur, ac sua celat secreta. Ex iam dictis concludimus, quòd dæmones nostros sensus, ac species in nostra mēte conceptas absolutè & simpliciter cognoscunt, & non quantum ad affirmationem uel

D. Dionysij argumēta de dæmonum cognitiōe resoluuntur.

Differētia materialis & spiritualis speculi.

D. Aug. autoritas sup Genes.

Conclusio de dæmonum cognitione.

ne-

negationē. Vt uerò eiusmodi cordis affectus corpus alterant, mira facilitate & perspicacitate ab ipsis cognoscuntur; quos quidem affectus dæmones quibus uolunt detegunt, eisque persuadent, per uehementē imaginãdi uirtutē ipsos cognosci posse: unde ipsi dęmones illorũ imaginationi insidētes, atque illis occulta aperiētes, infinitis errorũ tenebris misellos quosdã illaqueãt: qui et rationis et salutis expertes mira se posse ac scire garriũt, et ad cælũ imaginãdi potestatē extollũt, tãquã incredibiliũ & miraculorũ causam blaterantes. Nec animaduertũt, quòd quæ afferunt, & philosophię principijs, et Theologiæ, et sẽsui, et rationi, et experiētiæ repugnãt. Vnde optimè sibi cõsulerent si imaginatrici uirtuti minus tribuerent, seque à dæmonibus falli non sinerent.

Nihil ad generationem, quantum ad prolis similitudinem, ad sexum imaginatio confert, sed horum causa in semine latere ostenditur Cap. VII.

QVi fascinum per imaginandi uires iaculari asserunt, exemplum de natorũ similitudine, ac sexu adducunt: quæ omnia ex imaginantium conceptione, coitus tempore accidere fatentur; quæ, ut cætera, à ratione & à ueris philosophiæ principijs abhorrere ostendemus. Arist. plerisque in locis animum à corpore, & corpus ab animo affici existimat. Corpus enim cibo expletum animum obruit, sic timente animo corpus inhorrescit; eodem nimium gaudente adeò dilatatur, ut penè semiuiuum uideatur. Idque si nunquã acciderer, eo tẽpore maximè, quo uir cum fœmina cõmiscetur, fieri consueuit: tunc enim ob delectationē imaginatio, et aliæ partes aīæ, ita lãguidę et impeditæ sunt,

Animus à corpore & corpus ab animo afficitur.

Deliquiũ animi in coitu.

ut uterq; animi deliquiũ paßus iudicetur. Spiritur.n. tunc pigri & graues sũt, nerui laxi et lãguidi, similiter et mẽbranæ, quib⁹ de causis imaginatio parũ intẽta in res, figuras et ordines. Ideò ad uehemẽtẽ imaginationẽ tũc tẽporis animus inhabilis omnino est. Huc accedit, quòd animalia cæca quãdoque pullos maribus similes generãt, quos nunquã uidere potuerũt: hinc fit ut imaginationẽ generationi nihil cõferre censeã; sed cũ similitudinẽ, tũ sexum ad semẽ referã. Quod quidẽ Poeta Luc. q naturæ principia rimatur hisce vers. expressit:

Similitudo prolis ex semine oritur.

Semper. n. partus duplici de semine constat;
Atq; vtri simile est magis id, quodcũq; creat,
Eius habet plus parte æqua: q̧ cernere possis,
Siue virum soboles, siue est muliebris origo.

Luc. de ꝓlis similitudine.

Nec quenquã ex ueris Philosophis legi, qui nõ semini omnia adscribat, quæ nato innascuntur, superstitiosis quibusdam exceptis, qui cùm bonarum disciplinarum ignari sint, uana quędam dogmata sibi confinxerunt, ut docti & acuti ac perspicaces uiderẽtur, atq; ita tot tãtaque imaginationi tribuerũt, rerũ causis ac ueris principijs relictis. Id genus est hoc de natorũ similitudine ac dissimilitudine, cuius causa nulli rei prxterquàm semini adscribẽda est. Et quanquã si seminis uirtus inspiciatur, sẽper proles patri potius quã matri similis nasci deberet; quia hic formã, illa vero materiã subministrat; nihilomin⁹ fęminea gignẽdi uis, quę ad robur etiã ipsa, & firmitatẽ confert, mẽstrui virtutẽ et facultatẽ sibi coniungit; quæ nouẽ mensiũ spatio fœtũ nutriens, tantum roboris ac firmitatis acquirit, quãtũ in primo congreßu à maris semine uincebatur: minimeq; mirũ cuiquam uideri debet, si soboles utrisque parentibus in

Mas formam, fœmina materiam in generatione præbet.

Fœtus cur vtriq; parenti in diuersis partibus fit similis.

diuersis partib⁹ corporis similis procreatur: quia ex semine, quod uirib⁹ præcellit, similitudo oritur, diuersisque in partibus in fœtus formatione alterũ alteri præstare potest. Illa siquidẽ seminis pars, quæ prior excidit, crassior: q; secũda uel tertia iaculatione emittitur, tenuior, frigidior & imbecillior, insitiq; caloris substãtiæ minus particeps iudicatur: quo fit ut in quibusdã partibus maris, in quibusdã fœminę, semen ob commistionẽ præcellat: & qua præualuerit, illa fœtus pars ei cuius semẽ præstat, similis fit; quoniã opifex uirtus, in minima quaq; materiæ parte inest: atq; ita natura cõparatũ est, ut ea uis quę oculum, nasum, supercilũ fingit, singula mẽbra efficiat, & uĩ suã habeat. Hac de causa Aug. Colũbrus è S. Seuerino, qui de equorũ natura ac remedijs scripsit, longè melius sensit, quàm illi, q similitudinẽ imaginationi adscripserũt. Hic enim equorũ colores ex humorum prædomino oriri existimauit.

Aug. Colũbri de varijs equorum coloribus sentẽtia.

Vnde equus rubei coloris ex humore sanguineo prędominãte nascitur, q quidẽ humor si parũ adustus fuerit, equum quẽ Saurũ appellamus, reddet: ex cholerico humore excedẽte, qui calidus & siccus est, niger: et iuxta maiorẽ uel minorẽ eiusmodi humoris varietatẽ, magis, uel minus niger equ⁹ procreatur. Albus autẽ equ⁹ ex flegmatico humore, qui est frigidus et humidus oritur: q quidẽ humor si cum sãguineo misceatur, equũ quem Muscatũ dicũt, efficiet. Colores uerò mixti, ex humore melancholico fiunt, ut fuliginosi, ceruini, soricei, ac cæteri: est enim frigidæ & siccæ naturæ, terræ accedẽs, colorũ varietatem effingens. Cęterùm illud Genesis, quòd Iacob virgas varijs coloribus depictas in canalibus posuit, ad quos oues bibendi causa ducebantur, ut dũ oues

cum

cũ arietibus coirẽt, uariatos fœtus cõciperẽt, ut re uera accidit: nõ p imaginãdi uires, sed p diuinã virtutẽ, ut mysterijs correspõderet, factũ esse reor; sicut ex capite immediatè sequẽti clarè habetur, ubi ĩter alia sic legitur, c. 31. Abstulit Deus gregẽ patris vestri, et dedit mihi; et nisi fuisset Deus patris mei, uacuũ remisisset me. Nõ igitur imaginationi sed Deo gregẽ acceptũ refert: ibiq́; interpretes aiunt, ꝙ Deus furatur impijs, ut tribuat iustis: neq; solùm spiritualia illis largitur bona, sed & tẽporalia. Si quidem si naturæ uia actum id fuisset, hodie quoque fieri quis uetaret? & tamen quã plurimos illud tentaße audiui, & quid simile nunquam contigisse. Nec obstat, quod August. lib. 12. de Ciuit. Dei inquit, Anima sic uel sic affecta prægnantis, ualet aliquibus uelut induere qualitatibus fœtũ, sicut de uirgis uariatis fecit Iacob, ut pecora diuersicolora gignerentur. Ibi enim aliorum de hac re opiniones refert; et ideo non ex sua sententia loquitur; pauloq́ue inferius se declarare incipit, quãdo ait, Quęlibet desideria motusve animæ matris ualent aliquid lineamentorum aut colorum aspergere teneris, mollibusq́ue cõceptibus: quę sic, uel in suo genere afficiantur, non facit nisi summus Deus. Quòd autem ad fœtuum colorem uariãdum, potus & cibi uarietas conferat, non dubito; quia cũ causa omnium accidentium, & colorum in prole sit ipsum semen in quo latent, & semẽ ex sanguine fiat, qui quidẽ sanguis ex cibo augetur, & iuxta cibi ac potus naturã sanguis alteratur. Si cibus & potus uariãtur, fœtuũ colores, ob seminis naturam alteratã, uariari oportet. Aristot. in lib. de Historia animaliũ ait, ꝙ in terra Assiride agri Chalcidici Thraciæ amnis est frigidissimus, cuius

Varia prolificatio gregis Iacob vnde.

Deus furatur impijs vt tribuat iustis.

Aug. locus

Alimonia ad colorũ varietatẽ confert.

Arist. historiæ de amnib. varios colores inducẽtibus.

cuius aquam si oues biberint, mox que à potu coierint, nigros agnos generant. Ibidem in Antandria duos fluuios esse asserit, quorum vnius aquæ, candorem, alterius nigredinem pecori inducunt. Scamandrus insuper amnis, flauas oues reddere, eodē loco perhibetur. Strabo de Crantide flumine fines Italiæ Tarentum uersus præterlabente affirmat, quòd homines in eo lotos cæsarie candidos, & flauos efficiat. Plinius etiam arietū ora introspici scribit; quia cuius coloris sub lingua habuerint uenas, eius & lanitium erit in fœtu, variūq; si plures fuere, & mutatio aquarū potusque uariat. Virgilius quoque hac de causa in arietibus linguam spectandam esse monet, Georg. 3.

Plinius de lanitij colore.

Virg. de electione arietum.

Illum autem, quamuis aries sit candidus ipse,
Nigra subest udo tantùm cui lingua palato,
Reiice, ne maculis infuscet uellera pullis
Nascentū, plenoque alium circumspice cāpo.

Stratonicus de prosimilitudine.

Quòd si imaginatio ad fœtuum cum parentibus similitudinem nihil confert, neque ad sexus procreationem conferre poterit. Stratonicus Philosophus fœminā ex fœminę, marē ex maris semine inualescente procreari dixit: at quia id repugnat, quòd sæpenumero accidit ut fœminę patri, mares matri quàm simillimi nascantur: ideo non absolutè ex seminis prædomino, sed ex diuersarum partiū præeminentia procreari marē vel fœminā alij dixerunt. Galen. uerò ex effectricium qualitatū temperie id uenire dicit; ex caliditatis scilicet, uel frigiditatis uirtute pręcellēte. Verùm quia omniū effectuū Deus est præcipua causa, uirilis quoq; sexus procreatio ab eo præcipuè depēdet, cuius rei in Sacris litteris clara

A Deo pendet uiri ꝓcreatio.

ra exempla habemus. Quòd autem circa genialem lectum ut elegantes imagines habeant, mulieribus præcipitur, nihil refert. adeo enim in vulgi opinione recepta est de imaginatione confidentia, ut circa generationē quam maximè ualere censeatur. Illud uerò quod fertur de laruato qui dæmonem procreauit, fabulosum censeo. Nec mirum mihi uidetur quod Plutarchus narrat, ex candido homine AEthiopem genitū: id etenim non ideo accidit, quia mulier in tabella AEthiopē pictum uiderit, sed quòd semen uitiatum erat, & maiorē procliuitatem ad nigrum, quàm ad album hominem procreādum habebat, cholerico humore in semine uehementer præcellente, ac dominante. Quod inde persuaderi potest: nam quandoque canem ex muliere procreatum audiuimus; & nihilominus nulla unquam mulier canem procreandi uoluntatem habuiße creditur, cùm vnusquisque sibi simile procreare studeat, ut Arist. non semel fatetur. Cùm itaque canis ex humano sanguine generatur, non ad imaginantem refertur, sed ad semen duntaxat. nam canis ex eo generari non potuit, nisi uitiato & corrupto. Quod semen corruptum, ut diximus, sicut ad hominem generandum ineptum, ita ad canem idoneum erat. Quo fit ut si canem ad hominem, unde semen decidit, referas, monstrum dicitur: si autem ad seminis uitium canis referatur, per se genitus nuncupatur. Eodem quoque pacto dicendum est, cùm ex albo homine AEthiops procreatur, quia ad seminis proprietatem, & non ad imaginantem referendum est. Ex eo enim non modò supradicta, uerū etiam podagra, comitialis morbus, atq; īnumeræ aliæ ęgritudines hęreditariæ uocatæ, fœtibus com-

Quisque sibi simile procreare studet.

Ex seminis uitio monstro si partus oriuntur.

Corporis ægritudines ex semine ꝓpagātur.

cõmunicantur. nam cùm semen ex præcipuis partibus defluat, omniumque membrorum in se naturam viresque cõplectatur: fit ut quæ uitia ulli parti inhæserint, ea hæreditario iure proles sortiatur. Et quoniã maternus sanguis præcipuum sit fœtus alimentum, quãdoq; accidit, ut plus labis ex matre cõtrahat, siue corporis habitũ, siue animi mores spectes. Quæ fatuum esset dicere, si ad imaginantem referrentur. Nec prætereũdũ censeo, duplex accidens in homine reperiri: quorũ vnum ex forma, alterum ex materia oritur: quod ex forma originem trahit, cum omnibus singularibus sub specie contentis communicatur; quod autem à materia emanat, non omnibus, sed nunc vni, nunc alij innascitur: & hinc fit, ut rationæ materiæ accidentia, quæ in parẽtum corporibus reperiuntur, in filijs quoque uideri cõtingat; ut Iustinus Historicus lib. 16. de Seleuco Antiochi filio refert, in cuius femore qa anchoræ figura nata erat, in eius quoq; filijs, ac nepotibus, ueluti generis naturalis nota anchoræ in femore innata uisa fuit. Illud de gallinis, risu potiùs q̃ cõfutatione dignum est, quoniã gallinarũ, & aliarũ volucrũ calor, ouis q̃ fouẽt, formã non tribuit: cùm quotidie experiamur sub gallinis, pauonum, anserum, & cæterorum animaliũ oua subijci, & ob illarum calorem pullos, quorũ oua erant, gigni. Nihil profectò gallinarum calor efficere potest præter quàm insitum ouorũ calorem excitare: quòd si gallina oua fouens, alius quàm calorem excitandi uim conferre potest, non certè anserem, non anatem, nõ pauonem ipsa procreare posset, ut fieri uidemus: quia specie à gallina differunt, quin eadem oua, fimi & ignis calore gallinarum calori conuenienti excludi uidemus, et

Accidens duplex in homine.

Instini historia d̃ anchora in femore Antiochi.

Gallinæ incubit⁹ pullis excludendis nõ uariandis prodest.

pullos

pullos eius speciei cuius oua fouebantur, in lucem edi. Cùm itaque pullorum forma, & accidentia in ouis lateant: frustrà gallinis, tempore quo ouis incubant, res varijs coloribus depictas obijciunt: cùm imaginandi virtus ad oua non pertingat. Pro illius dubij enodatione, in quo notas filijs impressas ex grauidarum matrũ alicuius cibi desiderio accidisse obijciebatur; notandum est, quòd spiritus animæ appetitui deseruiunt. idq; tũc fit, cùm imaginationis potestas appetitũ excitat. Omnis enim anima suis spiritibus ueluti instrumentis vtitur: quos quidem spiritus in corpore, quod uiuificat, procreat: ijdemque extra eiusmodi corpus, nihil agere possunt; quinimo si tales spiritus uehementi actione aliqua, puta exercitatione, calore aut frigore exagitati fuerint: nullo modo ipsi animæ, à qua originem habẽt, obedient, nec quidquam efficere poterunt: atque hoc inde clarum esse potest, quia nihil habent, quod eos dirigere possit: & simul atque in aerem emittuntur, dispergentur, ac dissoluuntur: ut in animalis corpore fieri solet, quando illius repentinus interitus accidit. Nec embryo quasi alienum corpus à matre censendus est; si quidem eodem sanguine, quo matris corpus, sustentatur ac nutritur: ijdem spiritus per venas, & arterias illi cõmunicantur. Et cùm illa carnis massa cæteris matris membris tenerior sit, facillimè pati potest, ac spiritũ motiones sentire apta, & idonea est, & præsertim dum uirtus formatiua, partes ac membra procreat; & aptat. quo quidem tempore si in spiritibus matris motus uehementiores fiant, ad fœtum absque dubio penetrabunt. Vnde sæpius filij repentini motus ac timoris signis notantur, quàm rerum, quarum desiderio ma

Aīæ spiritus appetitui deseruiunt.

Pręgnãtis desiderũ an fœtum macula aspgere possit.

tres afficiebãtur, signa trahant. Si nãq; ex intensa imaginatione talia signa orirentur, alienos fœtus potiùs q̃ suos concupitarum rerũ notis matres signatos esse uellent. Nulla enim matrũ, natum suum fœda insignitum nota, extra uterũ exire desiderat. Nõ igitur desiderij, sed perterrefactionis, & timoris, ac repentini motus, huiusmodi signa esse existimo. quia tenellus embryo ex subita perturbatione, cũ materia spirituũ impressiones recipientium plena sit, qualibet figura, ac nota, absque læsione facilimè signatur. fieri namque in corpore consueuit, ut ex intenso desiderio spiritus inordinatè moueantur, humores perturbẽtur, quibus cõcitatis, & perturbatis, varia signa tenello puero imprimũtur. quæ cõcitatio si paulò violentior est, abortũ mulieres facere solent, vt sæpius accidit. Quandoque parentes dæmonibus adstricti sunt, quorũ dæmonum opera tales spiritus commouentur, vt filij signati oriantur, quò eisdẽ dæmonibus cõsecrentur, & hæreditariam dęmonũ amicitiã consequãtur. Nec equidem ignoramus prægnãtes mulieres multarũ rerũ desiderijs teneri. Sæpè carbones, sæpè cineres appetũt: vidimusq; morsũ ceruicis cuiusdã à prægnante appetitũ, quæ correpta magnis doloribus abortum fecisset, ni momordisset, exanimato penè iuuene in quẽ dentes auidos infixerat. De his tam absurdis appetentijs ciborũ, medici quidẽ plurima, Philosophi quoq; nonnulla scribunt, velut Aristot. in libris de Animal. Fieri autẽ hoc dicũt, ex humore in stomacho uitioso, qui si uiris quoq; cõtingat, nõ dissimilia expetẽt. Non itaq; imaginatio ad similitudinem sexumve, nec ad natorum signa, nec ad aliquid huiusmodi conferre quidquam potest: vt de fascino tractantes, obgãniunt:

Ob repentinos animi motus fœtus notatur.

Dæmonũ opera filioli quandoque signãtur.

Prægnãtis cuiusdã mirus appetitus.

Varij prægnantiũ appetitus vnde.

Ego

Ego certè malo ueris Philosophiæ principijs adhærens errare, quàm cum eiusmodi hominibus, qui tam absurdam doctrinam seminant, bene sentire.

Cætera de imaginatrice ui confutantur, atque per eam nullo modo fascinum iaculari posse concluditur. Cap. VIII.

IN omnium Philosophorum ore celebris est illa propositio, Quæcunque agunt, quibuscum agunt esse contraria; quandoque formaliter, ut sunt illa inter quæ mutua est actio; aliquando vnum saltem virtualiter, ueluti lumen, & frigiditas; lumen etenim frigiditati uirtute tantùm contrarium est, cùm ad calorem producendum idoneũ sit; & nõ formaliter, quia frigiditas in lucẽ, è cõtrà agere nõ potest. At inter species quæ in imaginatione reperiuntur, & inter ea, quæ exterius à speciebus inficienda sunt, nulla contrarietas inuenitur: nõ formalis, quia non communicant in materia, cùm illæ simplices, & illa composita sint; nec virtualis, quia nulla uirtus excogitari potest, quæ species ad externa tangenda adiuuet, cùm specierũ naturis omnino repugnet: igitur species externa inficere, ac fascinare aßerendum non est. Rursus agens in id magis, agere solet, quod sibi est propinquius, quàm in remotius. Sed species in imaginatione receptæ, ipsi homini cuius imaginatio est, propinquiores sunt, quàm rebus externis: & hominem illum species fascinare nequeunt, igitur multò minus alia ab ipso inficere possunt. Quod ea ratione roboratur, quoniam omne agens cùm potestatem terminatam habeat, non nisi per terminatum spatium, & vsque ad certum terminum

Contrarietas duplex

Species externa non fascinant.

Agẽs agit in propinquius.

Actio oĩs terminata.

agere potest. quinimo nec in spatio illo toto vniformẽ actionem efficit, sed eam debiliorem in partibus à se remotioribus producit. Igitur fascinandi & res destruẽdi, imaginationi non est assignanda causa: sed potius dæmonibus, & maleficis, vt dicemus. Insuper actio & passio, vt Aristot. docet, non sunt per agentis in passũ penetrationem, nec per partiũ agentis in meatus passi ingreßũ; sed per contactum dũtaxat: verùm quia species in imaginatione receptæ, externa obiecta tangere nunquam poßunt; minimè fascinare eadem, idonea existũt. Præterea huiusmodi species cõceptæ, vel communem materiam cum re effascinanda habent, vel non: si non, nullo modo fascinare queunt: quia agens in materia cum paßo communicare debet: si eandem materiã habent, reciprocã paßionẽ suscipiunt, & ita species inuicẽ patiuntur ab externis obiectis, & ab ipsis fascinãtur: quod cõtra fascinantis intentionẽ est, & ab experientia abhorret, ideo species nullã fascinãdi uim habere, fateri debemus. Et eo magis, siquidẽ actio ex victoria actiuæ alicuius uirtutis super alterius resistentiam oritur: sed in eiusmodi speciebus respectu externarũ rerũ, nõ modò uictoria aliqua, sed ne leuis quidẽ cõtactus eße potest; ergo agere omnino nihil poßunt. Itẽ nihil agere quisquã potest, nisi uel in actu formali, uel eminẽtiæ, uel uirtuali existat; hic enim triplex actuũ modus reperitur, ut ignis respectu rei calefaciẽdæ: Sol respectu horũ sublunarium; tertiò, ut semen quatenus rẽ procreandã respicit. Si quis enim aliquid cùm non eßet in actu ageret, secundum id quod non habet, ageret, quod fieri non poßet, cùm nemo det quod non habet. Sed species imaginantis ut in externas res agant, nullum

Actio & passio fiũt per contactum.

Agẽs cum passo ĩ materia communicat.

Triplex actuũ modus.

Nemo dat quod non habet.

actum habent: non formalem, quia actus formalis qualitatem sibi similem in passum iaculatur, quod species imaginatæ non efficere possunt, cùm nullam aliam uim, quàm se imaginanti offerēdi habeant: non actum eminē tiæ, nam eiusmodi actus est longè sublimior eo, cuius respectu actus dicitur; modò species cōceptæ, rebus natura constantibus nobiliores non sunt: nec actum virtualem, quoniam omni uirtute carent, nisi quòd imaginanti sese offerre possunt, quod hoc pacto ostendi potest. In agentibus duplex uirtutis species reperitur, remota una, quam alteratiuam seu actuatiuam aliqui dicūt; qua illud agens præditum est, quod nihil alterat, nisi priùs ab ipso alteratione afficiatur; ueluti uinū, piper, & pharmaca, quæ nisi priùs à naturali calore alterentur, non calefaciunt. Altera propinqua, & est illa, quæ alterata alterat. Vtrāque uirtutem propinquā & remotam, species solùm respectu corporis imaginātis habēt, quę ut diximus commouere illud queunt, non autem respectu rerum externarum, cùm omni trāseunti actione careāt cuius ratio est, quia cùm duobus modis actio consideretur, ut rem corrumpit, & ut eandem perficit, & actio corruptiua ad qualitates primas pertineat, & species iā dictæ huiusmodi qualitatum sint expertes, illas ad perfectiuā actionē, & non corruptiuam spectare dicendum est; cùm re uera rectè imaginātem perficiāt, & ad externa nō exeant. Quòd autem omni motu extra corpus species illæ careant, hoc pacto probatur. ex Aristo. 5. de Physic. aud. habemus omnem motum uel ex accidēte fieri: ut cùm aliquis ędificator est musicus, dicimus musicum ædificare: uel secundum partem, ut cùm homo mouet librum, quia manus solùm mouet: uel secundum

Agentibus duplex uirtutis species inest.

Actio corruptiua & perfectiua.

Motus triplex ex Aristot.

totum, vt cùm lapis cadit. Sed nullo horum modorum species extra quidquã mouere possunt; non primo, quia species in imaginatione semper manent, quæ quidem imaginatio extra imaginãtem sua natura exire non potest, nisi per sui destructionẽ: non secundo, quia species cùm sint simplicißimæ non habent partes: non tertio, quia, vt dicebamus, immanentẽ, & nõ transeuntẽ, actionem habent: & fac transeuntẽ actionem habere, si foris pellerentur, quis eas regeret? nonne euanescerent? non enim secus anima, spiritibus & speciebus vtitur, quàm faber malleo: & veluti malleus, fabro recedẽte, artem exercere nequit; cùm omnis virtutis expers sit; sic species ab anima egressæ nullã faciẽdi quidpiã uim habẽt.

Anima quo pacto speciebus vtatur.

Nec ignoramus artẽ imaginatione fortiorẽ esse, ac certiorem: quia imaginatio sæpè incerta vagatur, at ars nihil absque instrumentis agere potest; imò neque cælestia corpora, & ipsorum animæ, quæ nostris nobiliores sunt, absque instrumentis, motu videlicet & lumine, quidquã agere possunt: ergo nec imaginatio, quæ quia omni instrumento caret, nihil prorsus extra corpus inficere potest. Quòd si posset citiùs in eo in quo est, quàm in externo perficeret, quia ei est propinquior: & ideò si per vim imaginãdi, aliquã rem; panẽ, vel aurum, vel quid eiusmodi fieri vellet, priùs imaginantis corpus, panis, uel aurum, vel quid simile fieret: quod quia falsum est, nec quisquam id vnquam expertus fuit, falsi & mendaces sunt, qui talia confinxerunt

Ars imaginatione certior.

Ad illud verò de acrium rerum cõceptu, quibus dentes obstupescere aiũt, Aristo. 7. sectione Problematũ, problem. 8. respõdet; vbi quæstionem quoque mouet, cur horrorem, sonantia quædam incutiant, vt quãdo serra exacuitur, &

Cur stupor & horror dẽtibus incutiatur ex externo stridore.

cur plerique cùm alios suspendi aut strangulari uident, deficiunt: quorum omnium causam non in imaginantē retulit. Non enim ex aspectu vel cogitatione rerum acrium dentes semper obstupescunt; sed cùm in alicuius dentibus propinqua dispositio ex humiditate ali qua reperitur, aut ex aliqua occulta cã oritur, uel quia calor imbecillus leui de causa quatitur. Admissus per aerē sonus mouet aerē qui intus est, ijs proxima quæque, illis alia suis sedibus cõuelluntur. Sic etiã nec ex rubrarum rerum aspectu, nec cuiuis sanguis è naribus effluit, sed cùm homo in sanguine dispositionem quandam habet, ut facilè quacunque occasione oblata id accidat, idque de reliquis responderi potest. Illud autem de ægroto cuius opinio concepta de Medico sibi salutem affert, ad imaginatricem vim referri non debet, quoniam rectæ valetudinis imaginatio, nõ est morbo contraria, ut eum expellere poßit, sed in eodē subiecto reperiuntur simul. Ideò spes quã ægrotus de Medico habet, salutē per se non affert, sed tantùm ex accidēti, quatenus ille qui de Medico optimã spē cõcipit, exhibita re media faciliùs capit. Põt & alia ratio reddi, nã ex valetudinis spe quã ęgrotus cõcipit, spiritus tũ vitalis, tũ animalis agitatur ac cõmouetur, humores excitantur: vnde vapores, vētositates, humiditates & alia nociua expelli solēt, quæ salus subsequitur, quia uirtus contra morbũ & morbi causã roboratur. Quo fit ut appetitus ad salutē, quē delectatio sequitur, alterato & exhilarato ægroto optimã ualetudinē afferat, & nõ imaginatio ipsa ex sua natura. Sic ēt illud de frigore intelligendum est, quia cũ frigoris imaginatio non sit frigiditatis forma, sed tãtùm illius similitudo, nec imaginatio frigoris,

Spes de medico quo pacto ægroto salutaris est.

esse reale sed intentionale habeat, frigescere non potest: quia species intentionalis, accidens reale cuius est species producere nequit: sicut enim sonitus, aut coloris species sonitum & colorem efficere nequeunt: ita nec species caloris & frigiditatis, calorem & frigiditatem procreant: quòd si id efficere ualerent, in sentiendi profectò organo, huiusmodi qualitates gignerent: quod experientiæ repugnat, nam tunc sensus non sentiret, quia ut Aristoteles testis est, sensus debet esse ab eo quod percipit, omnino denudatus: vt si percipit colorem, non debet esse coloratus, & sic de singulis. Cùm itaque species & imago frigiditatis, nec sensum, nec externa organa frigesaciat, cùm illis primò occurrat, & sic primò aerem, deinde oculos alterare debeat, non imaginationi frigiditas adscribenda est, sed potius gaudio vel timori, in quæ ex imaginatione incurrimus: quorum vnum caliditatis, alterum frigiditatis causa eße solet. Denique ut ad institutum redeamus, ualetudinem, ægritudinem, amorem, odium, ac singula alia quę imaginationi nonnulli adscribunt, dæmonum actioni, vt inferius dicemus, adscribenda esse duco, qui tacitum vel expressum pactum cum maleficis habere solent: & ideò ad primum fascini modum, quę de imaginatrice vi, vltra suam naturam dicuntur, reducenda sunt.

Specierum intentionalium vis.

Sensus ab eo quod percipit omnino denudatus est.

Gaudiũ & timor calorem & frigus incutiunt.

Fa-

Fascinum per visum iaculari confutatur: atque singulorum quæ ab oculorum radijs fieri censentur, vera causa redditur. Cap. IX.

SI quis oculorum naturam, ac munus rectè contemplatus fuerit, non fascinandi, sed videndi duntaxat potestatem illis à natura tributam reperiet. Petrus Apponensis oculum ad videndum factum esse ostendens, ita diffinit: Oculus est instrumentum videndi, complexione aqueum cum quadam anteriori planitie, rotundum, in suprema anteriore capitis parte locatum, ex septem tunicis, & tribus humidis constitutum, sex musculis motum, & uno uel duobus seu tribus fultum. Munus autem oculorum, quæ visio est, diffinitur, Quod est medij luce mediante per pupillam speciei coloris susceptio. Et Arist. de gen. anim. 5 inquit, Visio est oculi motus, secundum quod Diaphanus, & Alex. Aphr. Visio eò fit, inquit, quòd sensorium colores excipit, & sese quodammodo coloribus simile præbet. Aristot. de Sensu & Sensato, visum ad multas rerum differentias ostendendas procreatum affirmat. Ex quibus verbis, & ex alijs quæ Arist. in lib. de hist. ani. & de Anima, ac cæteri Philosophi dixerũt, non fascinare, sed videre oculos posse colligimus. Et quãuis Democritus, Empedocles & Plato in modo videndi ab Arist. discrepauerint, nunquam tamen ob alium finem uisum homini datum esse dixerunt: quod si quis negaret, dignus esset cui oculi eruerentur. Vnde natura de tam præstantißima oculorum actione sollicita, non vnum animali, sed binos singulis largita est; vt perfecta cognitio esset, & ut uno deficiente, non protinus tanto priuaremur dono.

Oculi definitio ex Petro Apponensi.

Visiõis seu muneris oculorũ diffinitiones.

Et

Oculorum vnio.

Nerui optici munus.

Et quamuis duobus oculis præditi simus, vnionem tamen oculi habent inter se: neruus enim opticus a cerebro duplici discrimine sectus oritur, qui paulò post cōiungitur, & vnus fit, postea in duos diuiditur, ac quisq; in suum oculū proficiscitur. In hoc neruo spiritus visiui sunt, per quos vis à cerebro ad oculos defertur, & per eosdem rerū visarum species ad sensus interiores ascendūt: quod si ita est, vt certè est, qui fieri pōt, vt spiritus uisiui immediatè à corde egrediātur, & pro cordis qualitate inficiāt ac fascinēt? profectò qui hoc pacto loquūtur, corporis humani sectionē nec viderūt, nec ab alijs descriptā legerūt. Nā etsi inter Philosophos maxima est difficultas, ubi uidēdi uis consistat, & hāc quidā in humore crystallino statuāt, alij in tunica retina, nōnulli in aranea, quidā in humore vitreo, quidā in neruorum opticorū cōiūctione, reliqui in humore crystallino, quātum ad initiū: in neruo & spiritu, quantū ad progressū: in sensu exteriori, quantū ad perfectionē, locent: nihilominus aliud quàm vidēdi officium in illis non collocarunt: & omni ex parte uisum ad uidendum, nō autē ad nocendū, videri pōt esse formatū, siue ipsius temperiē animaduertas, siue positionis opportunitatē, siue coloris fulgorē, siue operimentorū vim, siue oculorū motū: quoniā tegmē leue & lucidum, est ad speculi similitudinem: quod autē huic proximum est, venosum, molle, nigrum ac perforatum est. Venosum quidē, quò corneam abundè alat: molle verò, ne suo cōtactu crystallinum humorē lædat: nigrum, ut splendorē vniat, & ad pupillam transmittat: perforatum, ut quē transmittit splendorē foras mittat. Tegmen tenue, albū ac durum: tenue & albū, vt nitores celeriter trāsmittat, durū, ut tutò cōseruet:

Philosophorū variæ sententiæ de virtutis visiuę situ.

Oculorum descriptio.

uet: atq; ne læderetur, palpebris, cilijs, oßibus, ac etiam cute circundedit & muniuit, ut omne quod à frōte, atq; adeò à capite fluit, antequā ī oculos incidat, auertatur: sic arenā, puluerē, parua animalia uolantia intrò in oculos cadere, aut quidquā demùm ipsos cōturbare prohibeāt. Vt Cic. inquit, Oculorū motus quatuor sunt, unus quo intrò, nasum versus uertūtur: alius, quo extrà, paruum angulum uersus abducuntur: tertius, quo sursum, versus supercilia attollūtur: quartus, quo deorsum, malas versus trahuntur: ex quibus non ad lædendū, & fascinandū oculos factos discimus, sed potius ad ea quæ opifex cōdidit optimè intuendū & contemplandū esse formatos animaduertimus. Et hac de causa Arist. principem locū oculis datū esse asserit, à cuius sententia Io. Dam in 2. li. de fide, cap. 18. non discedit, & Plat. quoq; in Tim. idē affirmās, oculis philosophiā acceptā refert. Siquidē Philosophi cęli altitudinē suspiciētes, & astrorum nitorē, ornatißimamq; mundi machinā mirātes, tāti operis causam inuestigare cœperūt, vt ipse ait. At si homini uisum ad effascinandū natura dedisset, profefectò non bene hominū utilitati prospexißet, ut fusius dicemus. Verū ut mota dubitatio omni ex parte enodetur, prænotandum est, ꝙ ad uidendū duo pręcipuè sunt neceßaria, uidendi potestas, & ipsum obiectum uisui idoneum. Ex neutro horum fascinum originem ducere demonstrabimus, atque ab ultimo incipiamus. Videndi obiectum uisibile esse Arist. in lib. de anima, docet: res visibiles cernendi virtutem perficientes, color, diaphanū, lumen, & uisibile innominatū dicuntur. Colorū quidā sunt meteorologici, vt illi qui in nubibus, Iride & aquis ob uariā ipsius lucis commistionē cernuntur, alij

Oculorum motus quatuor ex Cicer.

Philosophię cognitio oculis debetur.

Ad uidendum duo præcipuè sunt necessaria.

Colorum species.

verò

verò sunt colores, qui suæ generationis principia, quatuor qualitates habent, ex quarum cōmixtione colores simplices, vt albū & nigrū nascuntur; & alij qui misti dicũtur, ut uiridis, rubeus, croceus, ac reliqui. Quilibet color duobus modis considerari pōt, ut potestate tantùm est, quando lumen abest; tunc enim potestate quadā tantùm in tenebris est, & actu (vt Alexander lōgo sermone optimè demōstrat) quando lumine illustratus est. In quolibet colore duo sunt, materia scilicet & forma. Coloris materia perspicuitas est, quæ licet uniuersis corporibus largita sit, & cōicata, nihilominus non æquè; vt idē Alexāder, inter Græcos præcipuus ostendit; quoniā quædā maximè perspicua sunt, quæ imam & intimam partē transparentem habent, vt aer, aqua, ignis, cęlū: alia solùm in extrema superficie perspicuitatem cōtinent, ut lapis, aurum, &c. corpora densa. Coloris uerò actus & forma, lumen est. Vnde lumē in perspicuo color dicitur, vt Alexander, & cæteri Aristotelis Gręci & Latini interpretes aiũt. At si in intima perspicui parte lumen receptum consideretur, non propriè color est, sed lumen appellatur: vt quando lumen, aerem, aquam, & alia huiusmodi penetrat. Color autem tunc propriè nuncupatur, cùm extrema perspicui superficies lumine illustratur. Illa enim illuminatio verè color est; & quæ magis perspieua sunt, colorē habēt, lumini magis cōformē, & coloratiora ea Alexāder uocat: luminis aũt diffusiones quatuor apud Philosophos reperiũtur, recta, reflexa, fracta, & refracta. Quādo sine impedimēto lumen diffunditur, recta processio dicitur: si quid obstat, quominus iuxta suā naturā via recta fluat, tũc in se multiplicatur, quæ reciproca in se reuersio, reflexio,

Color dupliciter cōsideratur.

Coloris materia & forma.

Luminis diffusio quadruplex.

flexio uocatur. Vt autẽ à medio dẽſo ĩ mediũ rarius deſilit, luminis fractio dicitur. At ſi à raro in dẽſum coangustatũ lumẽ ſeſe colligit, ut quãdo ab aere deſiliens in aquam ſe transfundit, refractio appellatur. Quocunque dictorum modorum uiſionis obiectũ ſumatur, & quæcunque luminis diffuſio intelligatur, fieri nullo modo poteſt, ut per ea faſcinum iaculetur. Si quidem omnis coloris natura eſt, ut luce irradiata actu diaphanũ moueat: quia cùm uidere ſit quoddam pati; ut ait Philoſophus, & color ſemper à ſenſu diſtet, medium aliquod intercedere neceſſe eſt, per quod color in ſenſum agat; quod quidem medium diaphanum ipſum eſt: nam ut idem Ariſt. in 7. de phyſico auditu docet, agens, & patiẽs oportet eſſe ſimul; quare color diaphanum mouet, qui color ſpeciem ſuam in eiuſmodi medio lumine affecto ſpiritualiter multiplicat. Diaphanum autem coloris ſpeciem ad oculos, quos mouet, defert; & ita uidendi actio abſoluitur: unde ſi ex parte obiecti quidquã incõmodi, uel læſionis oriretur, nulli niſi oculis ipſis noceret, ut fieri uidemus, quando excellẽs obiectũ illis offertur, quod ſenſum corrumpit: ut cùm oculos ſolis radijs obijcimus. Non ergo ratione obiecti per oculos quiſquam faſcinare poteſt. Nec etiã ratione poteſtatis; quę ſiue paſſiua ſit, ut Ariſt. ait, ſentire eſt quoddam pati, quantùm ad organum, ut interpretes exponunt; ſiue actiua, quatenus ſpecies ſuſcipit, ut Themiſtius, Simplicius, & D. Thomas intelligunt: per uiſum faſcinũ fieri nõ poteſt. Non ut actiua, quia Ariſt. in lib. diuinorum, actiuam poteſtatem principium mutandi aliud quatenus aliud, eſſe dixit; ſed uiſus non modò nihil tranſmutat, quin potius à re uiſa, ut dicebam⁹, alteratur, & mutatur:

Videre eſt pati quoddam.

Agens & patiens ſimul ſunt.

Viſus poteſtas ſiue actiua ſiue paſſiua ſit, faſcinare nõ poteſt.

tatur: quoniam, teste Arist. sensus non à seipso sed ā re sensui apta in actu fit; quod si ita est, passionem alijs inferre non potest, sed ipse ab alijs patitur. Nec quatenus passiua, quia vt Philosophus in primo de generat. ait, sensatio speciem recipiendo fit: & dum à re obiecta speciem recipit, in alios fascinum iaculari non potest. Species enim visibiles ab obiecto diffusæ, & in sentiendi parte receptæ, sentiendi actū absoluunt: qui quidem sensus si patitur, clarum est, quòd fascinare non potest. Si verò agit, nihil amplius efficere, nisi species comprehendere potest: ergo non fascinare. Et hoc D. Aug. intellexit, cùm dixit, ab obiecto, & potestate notitia paritur. Igitur à visu nihil aliud quàm notitia gigni potest. quinimo si visus species quas recipit in alios iaculari posset, etiam tunc fascinare non posset: si quidem species, vt diximus, non est res, sed rei vestigium, & simulacrum, quod omnis actionis est expers, vt Themistius & Alexāder inquiūt, & tantùm visum ad videndum excitat. Quod inde roboratur, quia visus immenens, & non transiens actio appellatur: per transeuntem enim actionem semper aliquid fit, quod actione absoluta, manet; vt domus ædificatione perfecta, domus ædificata relinquitur, vt ī Ethicis Arist. aßerit. sed desistente visione, nihil superest, vt Alexander & Arist. fatentur; ergo immanens actio est, vt idē in lib. diuinorū fatetur, & ad externa obiecta nihil iaculari potest. Nec sensum agentem, ut Ioannes de Gandauo opinatus est, fingere poßumus, qui transeuntem actionem efficiat: namque cùm lux, actu colores reddat; calidum exhalans, odores: localis motus aerem uerberans, sonos: humor penetrans neruum gustatiuum, &

Sēsatio speciem referendo fit.

Notitia ab obiecto & potestate gignitur.

Visus actio immanens est.

lin-

linguam, sapores; qualitates tangibiles, tactum moueant: eiusmodi sensus agens abundat, & ab omnibus Peripateticis exploditur. nō igitur ab oculis quidquam exire quod noceat, potest. Et quamuis Plato dixerit, per emicātem ab oculis lucem, uisionem fieri, quæ quidem lux rerum simulacra inueniens in uisum inuehat, nihilominus Arist. hoc non admittit. Verùm lumen oculis uernaculū nouit, nec perfectò ut egrederetur, & externo luminis occursu maiores uires sumeret, quinimo si exiret, innatum oculorum lumen ob extraneum debilitaretur. Sed eò hoc lumen in oculis est, ut lumen externum, quod uehemens est, temperetur, & oculi rerum sensibilium formæ modum accipiant. Rationes enim non desunt, quibus eiusmodi radiorum ex oculis egressus impugnatur. Nā si luminis radij ex oculis exirent, non secus in luce, ac in tenebris uideremus; minimeque medio, ut externa luce, neque oculorum tunicis indigeremus; atque horum aliquo destructo uisus non impediretur, quia internum lumen sufficeret. Nec permagni referret an cominus, uel eminus aspiceremus, quoniā eodē modo, & sub eisdem dimensionibus & figuris uicina & remota uiderentur; quia insitum lumen ad utraque esset idoneum. Præterea tempore uentoso, emißum lumen foras agitaretur, & pyramidale, & triangulare præsertim: & ita si per luminis emissionem, uisio compleretur, quandoque non uidere contingeret, & eo maximè quia radij non tantæ magnitudinis sunt, ut adeo dilatari possint, quòd tot, ac tantas rerum differentias ambiant, & temporis momento comprehendant. Quia cùm omnis actio, & paßio per contactum fiat, radij uisuales uisibilia remotißima,

Sensus agens exploditur.

Radij ex oculis non exeunt.

Actio & passio fiūt per contactum.

ut

ut cęlum, & astra pertingere nõ possent. Reliquis quoque sensibus eiusmodi sentiendi modus repugnaret, quippe qui species suscipiendo, & nõ aliquid à se foras emittendo, actionem exercent. Quod quidem si ita fieret, ob tantum radiorum exitum, uidendi actio debilitaretur: quia cùm sentiẽdi uirtus in calore seruetur, si utique tot radij ex oculis egrederentur, uidẽdi potestas frigida euaderet, & sic uidẽdi uires amitteret; ueluti Alexander, cõtra Platonem, Aristotelem exponens ostendit. Cæterùm fac radios ex oculis egredi, quis eos ad rem uisam comitabitur? num rationis participes sunt? & si ad rem uisam pertingunt, qui uisas species ad oculos referre poßunt? quæ quidẽ colorũ species externæ lucis auxilio satis se diffundere, omni alio adminiculo remoto, poßunt. Illud etiam quod Alexandro Magno adscribunt, qui noctu, non secus atque interdiu uidebat; falsum eße arbitror: Nam mihi quoque sæpissimè accidit, ut nocte in lectulo cubans, & toto corpore, atque etiam capite linteaminibus cooperto, omnibus sensibilibus & uisibilibus remotis, colores cæruleos, uirides, rubros, albos, nigros, & quoscũq; alios uidere uisus sim; quę profectò uisio externis sensibus adscribi nõ potest, & propterea hanc uisionẽ fictam, & imaginariam dicerẽ, ut ex Alex. in pri. de anima habemus. Illi enim ueri colores, & splendores nõ sunt, sed hæc imaginationis actio est, ut in 3. de anima Philoponus quoq; sentire uidetur; cuius rei ratio reddi potest; si quidẽ imaginatio simul à uehementi sensibili acta cum externo sensu species in rei absentia seruat: quæ species, ac simulachra efficiunt, ut nos ueluti postquã in nimiũ quempiam fulgorem diutius obtutum fiximus, uarios quosdam

Visio per tenebras qualis sit.

dã colores in tenebris videamus, sicut Arist. in lib. de somno, & vigilia innuit. nec de coloribus tantũ id verum est, sed de innumeris propè rebus: nã cùm interdiu aliquid accuratè agimus, serioq; tractamus, earum rerum species, ac spectra noctu animo obuersantur; vocesque clamosas, ac turbulentas extorquent. Quòd si quis rogitet, quare hanc imaginariam colorum visionem non semper habeamus, sed solùm quando diutius aliquid splendidum, & viride, aut rubeum, aut quid simile aspeximus, dicimus, Quoniam id temporis duntaxat à sensibili obiecto vehementissima impressio fit, ideo species quas imaginatio excepit, simul atque à sensibili obiecto nos subduximus, imaginatricem vim vehemẽter mouent, adeo vt omnin viridia, vel rubea, aut alio quouis colore affecta, & qualia uisus spectauit, occlusis oculis videre videamur. qua ratione imaginatio sensui similis ab Arist. esse traditur; quippe quæ colorũ apparentias illis similes faciat, quas sensus exhibet. Imaginatio cuilibet sensui similis.

Nec externo sensui aliam notitiam, q̃ intuitiuã adscribimus; si enim absente sensibili visus videre poßet, abstractiuã profectò notitiã ei adscribi oporteret; quod ab omnium Peripateticorum sententia & experiẽtia ipsa abhorret. Sensus externus intuitiuã tãtùm notitiã habet. *Minimeque de Alexandro possumus dicere, vt Plinius de noctiluca, fungis, & lignis putridis & pisce lucerna ait, qbus cælestem naturam inesse Sosigenes Alexandri Aphrodisæi præceptor dicebat, vt Themistius in lib. de anima refert.* Sosigenis sententia de noctu lucẽtibus. *hæc nocte lucentia carere nomine, Arist. in lib. de anima fatetur, in qbus p̃ putrefactionẽ & superficiẽ corrupti corporis, humidũ extractum est: in quo qdẽ humido debilis ignis retẽtus seruatur, qui paruulũ fulgorem emittit; veluti car-*

bones igniti ad eosdē admoti albicant. Ille igitur ignis ibi retentus collapsam uim habet, ut Cicindela, cui cùm sanguis non sit, in locum digestionis igneæ partes congregātur, & spirituum repercussio ad succinctoriū indigestionis locū fit; ideo fulgent. Vnde sicut huiusmodi animalia diuersam lucendi rationē à putridis lignis habent, ita & homo à reliquis oculos habētibus, & nō ētē uidētibus, ut fele, ac reliquis differt; nec ex proprietatibus brutis inditis, hominis proprietatē indagare debemus, cū ab eorū natura maximè distet, & maior differentia, quàm cōuenientia in ipsis reperiatur. Verū quod de basilisco circumfertur, ridiculū esse censeo, ut virulentis radijs ex oculis emissis quoscunq; intuetur, interficiat; & primū tale animal nō reperiri, et iuxta vulgi opinionē Philosophos de eo locutos arbitror; deīde si reperiatur, nō per spiritus, sed per venenosos halitus nocere potest, per sibilum fortaße virulentā expirationē efflans. Quòd autem aiunt, si se ipsum in aqua vel speculo intueatur, illico emori, nullo pacto verū esse potest; tū quia ex oculis spiritus exire nō possūt, tū etiā quia si id admitteremus, exitiosi basilisco nō forēt, cùm ei venenū cōgenitum cōtinere familiare eße dicatur. Nec quia sacræ historiæ de basilisco mētionem faciūt, illū reperiri inferendū est. ex communi enim loquentiū modo sacræ litteræ quod intēdūt, confirmare consueuerunt. & quia iā ab oībus receptum est, animal quoddā basiliscum uocatū reperiri: ideo ipsum pro Dæmone sacri Doctores accipiunt. Dæmon autē, quia assidua nocēdi intentione, quæ eius oculus est, multos æternæ mortis laqueo tradit, eademque intentione se ipsū, diuina gratia priuādo interemit, cū suis meritis, & nō

Basiliscus an reperiatur.

Basiliscus si seipsum in speculo intueatur, nō morit.

Basiliscus in sacris literis pro Diabolo capiendus

diuino

diuino fauore illam sibi largiendam fore putauit: ob id basiliscus oculorum radijs quoscunque intuetur interfi cere dicitur: seque si in speculo intueatur ad necem per ducere; quia naturalia sua dona cōtemplatus in quibus tanquā in speculo omnium rerū species relucent, super bia inflatus se ipsum interemit. Basilisci verò ortum nō nulli sic fingūt, quòd vbi gallus decrepitus esse incipit, quod septimo, aut nono, vel ad summū decimoquarto anno euenit, pro virium robore vel imbecillitate ouū edit æstiuis mēsibus, ex putrefacto seminis excremento, aut humorū colluuie conflatum, ex quo quidem ouo basiliscū oriri censent: & hoc creditu admodū difficile videtur, cùm eiusmodi animal à nemine vnquam visū legatur. Ad illud de gallis, qui per oculos leonibus dolorem incutiunt, vt Lucretius ait, dicimus ꝙ inter bruta animalia cōsēsum, & dißensum eße non ignoramus; vt de mustella, quæ miro eiulatu in bufonis os se deuorandam inuehit, vt ego sæpe uidi; sed ex his hominis proprietatem longè diuersam arguere non possumus, cùm maior dißimilitudo inter hæc, quàm similitudo inueniatur. Id verò de lupis voce priuantibus, quem viderint, ni ipsi antea videantur, fabulosum eße duco, & quia in vulgi opinione ita receptum est, Virgiliū quoque vulgi opinionem sectantem locutum arbitror, cùm dixit; - lupi Mœrin uidere priores. Vel fieri potest, vt lupum ex improuiso aspiciētibus, ob micantium & terribiliū illius oculorum aspectum maximus timor incutiatur: & quia ex timore frigus oritur, et ex frigore artuum impedimentū, et totius ferè corporis immutatio nascitur; hinc fieri potest, ut vocis quoq; emissio impediatur. Alijs dicere visū ē, lupos adeo sese īgurgitare,

Basilisci ortus gallis attributus.

Lupi quo pacto voce à se conspectos priuare dicātur.

ac putridis cibis uẽtrem implere, vt nunquam non ex illorum naribus, ac ore, perniciosus halitus egrediatur; qui quidẽ halitus aerẽ paulatim, gradatimque inficit, quousque homines lupum aspiciẽtes contingat: & hoc modo eis uocẽ eripit. quæ opinio multis de causis, quas breuitatis causa prætermitto, mihi nõ arridet. Nec testudo oculis oua fouet, sed illa custodiendi studio spectat, vt ab eis nociua remoueat. et hac ratione ea fouere dicitur, non ꝙ per oculos calorem eis communicet: ad fœtus namq; excutiendos terræ calor sufficit, veluti de lacertis, ac cæteris ouiparis animalibus patet, & de piscibus præcipuè, quorum oua in aqua fouẽtur, & excluduntur. Id autẽ quod de menstruatis mulieribus fertur, nos mouere nõ debet; quòd leuigata specula si aspiciant, ex oculis emissis sanguinea nube aspergant: uisionẽ si quidẽ non spirituũ emissione fieri, sed specierum receptione diximus. Si uerò spiritus ex oculis exire cõcederemus, quo pacto tanta spirituũ copia elabi posset? Insup si cũ aliqd intẽtè aspicimus, tot spiritus emitterẽtur, animalia parũ viuerẽt, cùm sine spiritibus anima ĩ corpore permanere nequeat. Nõ igitur specula ex spiritibus ab oculis emissis tingũtur, sed potius à uaporibus ab ore, et naribus exeũtibus maculæ ĩ speculis fiũt, vt cuilibet periculũ facere volẽti notum esse potest. si qs uerò spiritus ex oculis exire defendere vellet, hac via ĩtelligi posset; quoniã in caluariæ cõcauitate duo foramina sunt, vnum oculi cẽtro directè oppositum, per qđ neruus opticus procedit: alterum ad alterius latus, & inde procedit neruus motiuus à secũdo cõiugio neruorũ tractus, & p hoc foramen ex cerebro lacrymæ emanãt, ac fluunt: quæ p exteriores oculi partes, & circum-

Testudo oculus oua non fouet.

Lacertarũ oua quo calore foueantur

cumferentiam inter tunicam candidam, & palpebras stillant. Ex quibus inferimus, non per spiritus ex oculorum substantia exeuntes specula infici, sed per humores ex eorundem oculorum circumferentia effluentes. Et hoc modo Aristote. locutum hac de re arbitror. Nec lippitudinem ex oculis lippis, in alterius oculum eiaculari poße negamus, ac consimilem infectionem inferre; sed eam uisionem nõ esse, sed uitium in oculo dicimus. Ad mutuum aũt amantium aspectum respondemus, q̃ si quis amoris causam rectè rimatus fuerit, eam non ad intuitum referendam esse facilè iudicabit. Non enim amãtis animum rei amatę aspectus inficit, sed proprius amor, ne dicam insania; cùm unusquisq; suæ ęgritudinis & erroris causa sit. Amans namque non illius amorem quã amat, sed formæ tantùm imaginem, & simulacrũ accipit, & in imaginatrice ui seruat; & hanc imaginem sæpe reuoluens, omnibus alijs pulchriorem & uenustiorem iudicat. Et ideò non quia amans ab amata uidetur, afficitur; sed quia ipse uidet, & rem uisam pluris quàm debet ęstimat. Quę tabes postquàm ab imaginatione, uniuersi corporis partes inuaserit, nõ ita facilè uitatur, nisi priùs animi uitium expellatur, ut Lucretius rectè inquit,

Lippitudo an alienis oculis incutiatur.

Amoris causa amãtium intuitus nõ est.

Nam uitare, plagas in amoris ne iaciamur,
Non ita difficile est, quàm captũ retibus ipsis
Exire, & ualidos Veneris perrumpere nodos.

Lucr. uersus de amore & animi uitio expellẽdo.

Et paulò inferiùs, alijs uersibus animi uitium, & peruersam rei amatę persuasionem amouendam suadet, ut huiusmodi remedium adhibeatur.

Et tamen implicitus quoq; posſis inq; peditus
Effugere infestum, nisi tute tibi obuius obstes,

Et prætermittas animi uitia omnia primùm:
Tũ quæ corporis sunt eius, quàm ꝑpetis, ac uis.

Amor non ad intuitũ, sed ad animi turpitudinem referendus.

Quòd autem non amãtis intuitus, sed animi libido, quæ maximũ vitium est, amãtem in uarias insanias rapiat; hinc clarius fit; quia quãplurimi sunt, qui seu videant, seu uideantur, nunquã tali uesania afficiuntur. At si spiritus ab amatæ oculis exeũtes quempiam afficiẽdi vim haberent, in cunctis hominibus eundẽ effectum parerent. Verùm quia permultos inhonestos amantes eandẽ mulierem inspicere uidemus, à qua & ipsi uidẽtur, & nihilominus in se amoris nihil ob eiusmodi aspectum recipiunt; hinc est quòd ad animi turpitudinem, & nõ ad intuitum, amorem referimus. Non igitur per oculorum spiritus, amor communicatur; sed potius amans, cùm rem amatam intuetur, illius pulchritudinis imaginem in imaginãdi uirtute recipit; ex qua ob continuum imaginandi actum, concupiscendi uis afficitur: unde totius corporis alteratio, & commotio nascitur. Non enim oculorum fascino, sed effrenatæ libidini adscribendum puto id, quod Zorobabel ab Apame Rapsacis Theneasini filia concubina sua sibi fieri patiebatur: ab ipsa namque alapis cædebatur, nec hoc tantùm ferebat, sed ut sibi detractum diadema, capiti illa suo imponeret: rideret cum ridente, & illa irata fleret, & adulatoriè se ad illius affectus humiliter satisfaciens accommodaret, si quid eam offensam animaduerteret, ut Iosephus de Antiquitatibus refert. Sic Dauid cùm in domus Regiæ solario deambularet, & Bethsabeæ Vriæ vxoris amore caperetur, ut Regum 2. capit. 11. legitur, non fascino, sed praua libidine exarsit. Idem de Ammon Dauid filio asserendum est, qui cùm sororem suam specio-

Zorobabel quid ab Apame sua concubina sit passus.

Dauid Bethsabeæ amore captus.

Ammonis amor in sororem.

ciosissimam, Thamar nomine, adamaret, ægrotare cæpit, eamq; ui oppreßit, ut eiusdem libr. cap. 13. habetur, quam postea adeò exosam habuit, ut maius odium esset, quo eam prosequebatur, amore quo antea æstuabat. Quid dicam de Salomone? qui tanto mulierum amore ardebat, ut illarum idola ac falsos deos ueneraretur, ut eis obsequeretur, ueluti 3. Regũ, c. 11. narrat historia. Eodem pacto de omnibus alijs sentiendum est, qui sese totos penitus mulieribus tradunt; non oculorum scilicet fascino, sed praua libidine infici atq; corrumpi. Id quoque quod de aue Ictero, seu Galgulo nuncupata dicitur, fabulosum esse reor; non enim adeò credulus sum, ut quidquid de occulta rerum ui dicitur, ac scriptum reperitur, credendum existimem. Vtcunq; ex brutorum animalium proprietate hominum uires expendere non debemus: cùm inter se distēt maximè, ut sæpißimè meminimus. Mulierculis uerò ac senibus imprimis hæc fascinandi per oculos uis adscribi non potest: illis etenim cornea tunica adeò rugosa fit, ut alij quidē prorsus nihil, alij uerò malè, aut uix uideāt. Multa enim incōmoda illos circũueniunt, rugæ nō paruæ, tunicę duplicatę, quæ craßitiem contrahunt. Spiritus pręterea supernè ad pupillam parcior adfluēs, quibus atq; alijs ne uideāt impediuntur. Quòd si senes parum uident, & exiles spiritus ab oculis emittāt, fieri non pōt, ut maxima fascinandi uis in senum oculis uigeat: nec in ijs qui tristes ac macilēti sunt. Siquidē esto spiritus huiuscemodi uirtutē habere tamē quia siccæ naturę sunt, ob spiritus è cerebro effluentis inopiā, fascinare nō poßunt. Nec quia nōnulli oculos cæsios, aut glaucos, aut uirides, aut diuersicolores habent, aut duas pupillas, in ijsque modò equi,

Salomon mulierum amator.

Galguli fabulosa est proprietas.

Aniculis & senibus fascinum falsò adscribitur.

Cæsij & pupillā geminam habētes quomodo fascinant.

modò alterius rei speciem gestent, fascinare dicuntur: hęc enim colorum in oculis varietas, ex humoris uincentis, uel caloris, siue amborum (vt ait Galenus) cōmistione in cornea tunica oritur: quæ, ut Aristo. inquit, in hominibus tantùm reperitur. Si quos autem interdum solo intuitu mala inferre putamus, unde equi macrescant & emoriantur, segetes exhauriātur, arbores arescāt, pecudes lacte destituantur; ac denique alia malorum genera infligantur, nōn oculorum naturę, sed dęmonum uirtuti adscribendum est. Qui profectò dęmones uirulentam qualitatem, & contrariam illi rei quā pessundare uolūt, iaculantur; quæ qualitas odore solùm, aut rerum adhibitarum uapore humores corrumpit, & in carne & neruis, ac toto denique corpore eos morbos gignit, quos postea nulla Medicorum uis cognoscere, nedum sanare potis est. Quòd uerò id naturę uia effici nequeat, hinc clarum esse potest; quia natura magno temporis spatio, non puncto actionē perficit: nec quod hominibus nocet, segetibus, arboribus, ac brutis animalibus officere solet: & nihilominus, qui per uisum inficere putātur, eodē intuitu, & nulla interposita mora, quæcunque uolunt, perimunt. Hic igitur fascinandi modus ad primum & secundum, in secundo capite positum ręducendus uidetur; quia hęc, ut Isidorus ait, & D. Thomas multis in locis fatetur; ex dęmonū actione, & maleficorum prauitate accidunt, atq; omnes autoritates, quibus per oculos fascinum exerceri demonstratur, hoc pacto intelligendæ sunt. Verùm quia non omnes, tali uirtute dæmones præditos esse nouerunt, ideò eiusmodi causam, oculorum naturæ adscripserunt. Interdum accidere consueuit, ut pueri & homines imbecillæ naturę,

Fascinatio segetū & pecudū dæmonibus attribuenda.

Morbos p dæmones illatos medici nō expellunt. Natura tēpore actionē exercet

Autoritates de effascinātibus oculis quo pacto intelligendę.

i
n
n
re
e-
o-
ā
n,
&
os
ne
e-
n-
o-
li-
te-
ue
us
re
o-
a-
es,
oc
ali
odi
ac-
na-

turæ, quos facilè infectio penetrat, visu & exhalatione inficiantur: ex sordidis enim & putridis ac malè affectis corporibus uapores tetri & insuaues, tanquam ex palude quadam limosa exhalare solent; qui ueneni naturam obtinent: quod accidit cùm quis lepra, peste, aut alio contagioso morbo affectus, alios inficit, idq; non fascinum sed contagium dicendum est. Tales enim putridi & corrupti spiritus corporis virtuti non obediunt, nec certum, determinatumq; potius hominem, quàm quemlibet obuium sine discrimine lædunt: si enim corporis virtuti halitus paterẽt, eosq; natura regere posset, in corruptionem abire nunquam pateretur. Nec rationi consentaneum uidetur, utilem & bonum humorem, quem natura liberare à putredine non potuit, corruptum iam, & exitialem gubernare, & quorsumlibet porrigere posse. Profectò, si halitus seipsos ad præfinitum locum conferendi, & res imperatas faciendi uim haberent: nemo esset qui rationis participes eos non arbitraretur: & si animati forent, talia per spiritus fieri concedere possem; sed cùm animæ expertes sint, & sui itineris ducem nullum habeant, ad præfinitam rem lædendam deferri nequeunt: quod si fiat, dæmonibus, ut dictum est, adscribitur. Quandoque fieri solet, vt ex tetris ac fœdis irati hominis, aut aniculæ oculis, tenelli paruuli, & ad morbum parati, ex eiusmodi intuitu perterrefacti, in uarios morbos & ægritudines incidant; in quas fortasse ob aliam causam paulo pòst incidissent: quæ quidem uia, etsi fascini nomen nõ meretur, tamen quia vulgus sic censet, sextum fascini modum hac de causa assignauimus.

Fascinum à contagio differt.

Pueri fœdis irati hominis oculis quãdoque læduntur.

Per

Per tactum fieri fascinum non posse demonstratur, ac singulorum contrarium asserentium exemplis & rationibus satisfit. Cap. X.

Tactus diffinitio.

ALexander Aphrodisiensis Græcorum Aristotelis interpretum facilè princeps, tactum diffiniēs ait, Quòd est rerum tactilium susceptio atque deprehēsio, qui tunc fit, cùm quod contrectandi potestatem habet, ad rei tactilis similitudinem immutatur. Hunc sensum omnibus animalibus necessarium esse non semel Arist. docuit. Illas siquidem res ex quibus omne animal componitur, animal ipsum cognoscere necesse est. At quoniam debita primarum qualitatum calidi, frigidi, humidi & sicci proportio cuilibet animali inest, cū ex illis cōstet: hinc fit vt cùm sensus tactus ad huiusmodi differentias cognoscendas dirigatur, vniuersis animalibus pernecessarius sit: & quia tactus uitæ animalis principium est, finem quoq; uitæ in illo Arist. collocat: namq; ipso superstite, vita etiam salua est; eodem sublato, omnis uita tollitur. Reliquæ autē omnes tangibiles contrarietates ac differentiæ, vt asperum, lene, ac singulæ ad enumeratas redigi poße, tanquā ad principes videntur, vt in lib. de gen. & corrup. Philosophus ostēdit. Cæterùm quæcunq; res illi offerūtur, præsentes eas esse neceße est: absentes etenim tactus nō percipit. Si itaq; animalium tactus prænarratum officium, ac munus est, & ad animalis salutem, & non perniciem à natura cōpositus, non bene eos sentire existimo, qui fascinandi potestate tactum præditum eße dixerunt. Quòd si homo per tactum fascinare posset, profectò eiusmodi fascinādi vis, aut ei per tangendi potestatem ineßet, aut à par-

Tactus uitæ animalis principium & finis.

Tactus p̄sentes res percipit.

Tactus munus.

ticula-

ticularibus corporis instrumentis illam haberet, vel à cibis quibus nescitur illi acquireretur. Horum modo in nullo hominem ad effascinandum idoneum esse, luce clarius demonstrabimus: & ut à primo exordiamur, Tactus siue unus sit, siue plures: si plures, an tot sint quot tangibiles contrarietates habentur, nunquã per eiusmodi sensum fascinũ iaculari persuaderi põt. Eodem quoq; pacto, siue caro tangibiles qualitates excipere nata sit, & in se tangendi potestatem habeat, siue internũ quidpiam aliud sit, quod illas excipiat: siue carnem esse sensoriũ auribus, oculis & naribus simile concedamus, intus uerò aliud corpus haberi, quod sentiendi facultate fungatur, sitq; in sensibilibus omnibus idẽ subiecto, siue tactui duo sensoria adscribantur, vt cor & cerebrũ, cor tãquã principium, cerebrum aũt complementum, sicuti Algazel sentire uidetur, fieri minimè põt, ut per eiusmodi media fascinatio cõpleatur. Quoniã si tactus multiplex est, dispositionũ quoq; multiplicitatẽ, & in quibusdã partibus singularitatẽ etiã habet, quibus tot cõtrarietates percipere natus est, ut in 2. lib. de Anima, Philoponus ait. Multiplices dispositiones sunt, quę uniuerso corpori insunt, seu calidi, frigidi, humidi, sicci, doloris & lætitiæ. Particulares uerò non toti corpori, sed partibus cohærent, ut dispositio linguæ ad sapores, dispositio ad alimenta percipienda, dispositio per quam in genitalibus delectatio percipitur. At si tactus specie unus & rationis multiplicis sit, sicut anima, quæ natura simplex, & iuxta uires multiplex est, ut uerè cum Aristotele tenemus, aliud facere nihil potest, q̃ huiusmodi differentias percipere. De sensorio autem dicimus, ꝗ cùm sagax & prouida natura animaduertisset, animalia omnia

Corporis dispositiones quæ.

Varia de tactus sensorio sententia.

nia

nia quàm citißimè ad tãgendum parata esse oportere, & ad utilia ac contraria sentiendum; nam si lentũ sensorium habuissent, non parua ei detrimẽta contigissent, quæ per citißimum tactum fugiunt: idcirco tangendi etiam medium ipsi animali datũ est, siue caro, siue quid aliud sit, uerùm si cor tactus sensorium est, ab ipso nerui per totum corpus diffunduntur; quibus quidem animal nihil aliud facit nisi quòd tangibilia tangit: si uerò cerebrum eiusmodi sensus sensorium existit, spiritus animales impartit, per quos omnes corporis partes de tangibilibus iudicant. Quòd si tactus, siue unus, siue multiplex sit; & sensorij præterea quodcunque illud sit, tale munus atque actio est, sicuti ab eisdem emanare diximus, qui fieri potest, ut per tangendi potestatem, homo fascinare queat? Sed ut hoc melius intelligatur, non est ignorandum, ꝙ res omnis quæ nobis tangenda offertur, ab anima, uel ut grata, uel ut molesta accipitur: si ut grata, dilatatio: si uerò ut molesta, contractio oritur. Grati.n.& iucũdi specie recepta, corpus & anima gaudent, ex quo dilatatio fit; at iniucundi & molesti specie admißa, corpus & anima mœrẽt, ac dolore quodã afficiuntur, inde cõtractio oritur: Primùm quia penitiores & magis internæ partes omnes illud bonum accipiũt, non enim uniuersum corpus se bene haberet, nisi singulæ eius partes eiusmodi bono fruerẽtur: Secũdũ uerò, quia tactus ĩ minima parte, & quãuis minimã molestiã fugere, seq; à nocẽte retrahere studet: unde ut nocens, secundũ minimũ, quo põt, tangatur, constrictio fieri reperitur; & quoniã minimũ illud quod tãgit, diu ferre non põt, mox dilatatiò nascitur: quẽ quidẽ motũ alternatis uicibus facit; siquidẽ si anima semper pferre vellet,

Tactus obiectũ omne vel gratũ, uel molestum.

Tactus cõstrictio & dilatatio vnde.

uellet, succumberet. Quæ constrictionis & laxationis beneficia naturæ optimè nota existimãtur: namque ad priorem dilatationem noui aeris attractio sequitur, à quo cor refrigeratur; ad cõstrictionem autem noui eiusdem aeris calefacti eiectio subsequitur. quę quidem calefacti aeris eiectio fascinare nullo modo potest: si quidem in proijcientis hominis corpore, putrefactionem esse oporteret, unde enim infectio transit, putrefactum esse necesse est. Putrefactio autẽ est dissolutio quædam mistionis calido innato, atque humido euaporante. Sed in illo, qui aerem per eiectionem emittit, nulla putrefactio, nullaque calidi innati, & humidi dissolutio reperitur; ergo nullam infectionem iaculari idoneus est. Quæ profectò solo contactu afficere uidentur, ea sunt, quæ marcescere consueuerunt, ut fructus aliquis, si fructui adhæreat. Sic namque aliena caliditas, atque humiditas, quæ euaporationis principia sunt, commiscentur. quod de hominibus dici non potest, quippe qui ab huiusmodi accidentibus alieni sunt. Huc accedit, quòd mala, quæ per infectionem commuuicantur, multiplicia sunt: quoniam aliud & arboribus, & satis nocet, et animalium nulli obest: contra, quoddam animalia infestat, & satis, & arboribus parcit; & inter animalia, hoc hominem, illud boues, aut equos, uel alia carpit; quin & in eadem specie, quod senibus nocet, pueris & iuuenibus non obest, & sic è contrà. nec quod mares, semper mulieres tangit: alij certas pestes sensere, alij nõ: alij inter pestilentes illæsi uersantur. Inter membra etiã sua infectio est: nam lippitudo nõ nisi oculis nocet; at cùm per fascinantis tactum omnia, quæ corruptioni obnoxia sunt inficiantur; eiusmodi infectionis causam ad alium

Putrefactio quid.

Mala per infectionẽ quæ lędãt.

quàm

quàm ad hominem, ad dæmonem videlicet referēdam censeo, vt fusius dicemus: per tāgendi itaq; potestatem fascinum fieri non poße, clarum esse puto, quòd autem per nulla corporis instrumenta id perfici queat; enodandum est: & primò de cute, quæ omnibus alijs magis ad tangendam necessaria videtur. Omnium animantium homo maximè tēperatus, ex communi Philosophorum sententia iudicatur: atque in toto animantium genere mediā temperiem tenere existimatur, reliquæ autē species non item: nam lepus siccus dicitur, formica lepore siccior; leo calidus, lupus melāchobolicus, & sic de singulis animalium speciebus. Cæterùm si tāta temperie homo præditus est, fieri minimè potest, ut spiritus ex eius corporis membris, & præsertim cute tā exitialē qualitatem eijcere poßint. hominis profectò cutis inter omnia extrema media est; & ea præcipuè, quæ in manu est.

Homo omnium animantium temperatissimus.

Hæc autem cunctarum rerum, quæ sensu percipiuntur, veluti regula homini animantiū prudentißimo futura erat. qua de causa ab omnibus extremis, calido, frigido, ac reliquis, æquali mensura distare oportuit. Si igitur cutis, quæ hominis manibus superinducitur, præcellentis qualitatis est expers; & omnium, tū rerum, tū animantium regulam, ac normam, tanquam medium homo temperatißimus tenet; adduci nullo poßum modo, ut per cutis instrumentum hominem fascinare posse credam. Quinetiam cutis quæ non omnibus hominis partibus duntaxat, sed vniuersa, quæ ortui, & interitui subiecta est substantia, temperatior est, ut Galenus ait: quo cutis genere, tactum maximè perfectum eße arbitratur: cùm qualitatum exceßum non contineat. quod quidem si uerum est, at credimus, unde per tactum fascinum

Hominis cutis veluti regula.

ſcinum? Non à pilis qui ſicci ſunt, non à neruis, quippe qui humiditatis, & ſiccitatis mediam naturam, ut cutis, habent. non per os, & cartilagines, quæ frigida, ſicca ſunt, & corruptioni contraria. idem eſt de membranis, arterijs, & uenis, quæ exangues & frigidæ comperiuntur. Non per carnem, & ſanguinem: nam temperatam caliditatem habent. non per cerebrum, à quo animales ſpiritus per totum corpus diffunduntur: & cuius cauſa caput procreatum creditur, cui omnes ſenſus, ueluti ſerui quidam ac miniſtri, & Regis ſtipatores dati ſunt. Non per cor, quod ſanguinis, ac uitæ origo, & principium ab Ariſt. nuncupatur. At ſi cor uitæ cauſa eſt, qui mortem, ac faſcinum inijcere poteſt? Fieri enim non poteſt, ut eadem res ſua natura eodem modo ſe habens, contrariorum effectuum ſimul cauſa exiſtat. Profectò, ſi naturæ artem contemplemur, eam mirabilem, ac diuinam iudicare cogimur; quia tam uaria inſtrumenta pro animalium ſalute, & non ad eorum exitium fabricat. Alia namque idoneum cuique particulę nutrimentum alterando impartiuntur, alia excrementa ſeparant, alia tranſmittunt, alia ſuſcipiunt, alia expellunt; idem quoque de foraminibus, quę corpori inſunt, dicendum eſt. Nam aliud quo cibo, & potui, ac aeri nobis circumfuſo eſſet ingreſſus, nobis datum fuit: aliud, quà humida, & ſicca excrementa exirẽt; ex ſuperiori parte ſpiritui ꝑ nares eſt ingreßus: in inferiori uerò ſemini pro exitu deſeruit, excernẽdorum excrementorũ cauſa nonnulli meatus ſurſum ad cerebũ perueniunt: alibi uerò corpus perforatũ inuenias ueſicę aluoq; exonerandę. Si igitur in horum omnium diſpoſitione, ac mẽſura, naturę ſolertiam & laudamus,

& mi-

Pili ſicci ſunt.

Nerui & cartilagines quam qualitatẽ habeant.

Animales ſpiritus vnde.

Cor ſãguinis & vitæ principiũ.

Corporis inſtrumentorũ vſus multiplex.

Corporis foraminũ vſus.

& miramur, quæ pro animantiũ, & præsertim pro hominis omnium domini beneficio, tot, tantaque instrumenta cõfinxerit: fieri non potest vt fascinãdi vim per eiusmodi organa exerceri existimemus. Minimeq; ex hominis halitu fascinũ oriri fingere poßumus: quoniã respirationis, & pulsuum vsus finisq; unus est; caloris videlicet in quacunque parte custodia. Nam quamuis Asclepiades respirationem ob animæ generationẽ eße dixerit, Praxagoras ob corroborationem, Philistion, & Diocles propter innati caloris ventilationem: Hippocrates ob nutritionem, & refrigerationẽ; Erasistratus arteriarum expletionis gratia, Arist. ob cordis calorem refrigerandum, & conseruandum; omnes tamen ad corporis utilitatem respiciebant, nec unquam effascinãdorum hominum causa, halitum ex ore emitti quisquam somniauit. Insuper ex brutis animãtibus nõnulla sunt, quæ torporẽ, quædam grauiorem soporem, alia exitialem qualitatem, alia frigiditatem, alia putrefactionem, alia aliud quoddam tetrum malum respirãdo incutiũt: at hominis naturæ nihil eiusmodi ineße uidemus, ne mortuo quidem, & putrefacto. Quæ ergo insania est, ut à uiuo talia fieri dicamus, quando in corpore humores pacati, & tranquilli sunt? ne dum si ad rebellionem tendere inceperint. At, si per tactum eiusmodi mala fieri poßet, in ijs maximè hæc facultas reperiretur, qui sub æstiuo sole diu uersati sunt, totumque corpus siccum, arefactum, squallidumq; habent, humoresque ad summam discordiam redactos: qui nihilominus ab eiusmodi actione quàm maximè alieni sunt, & si homo, ob intemperatam qualitatem, ac naturam tactu intermedio inficere poßet, id maximè efficeret simul atq; ex utero

Halitus hominis non fascinat.

Variæ Philosophorũ sententiæ de respirationis fine.

Bruta quędam mala incutiunt, sed non homo.

in

t
r
-
s
n
-
-
n
t,
t-
a,
:
ae
ut
es
en
ri
ub
n,
n-
o:
in-
dio
ero

in lucem editur. Nam cùm eius prima cõpositio ex calidis et humidis rebus cõstet; quibus crescere incipientibus oĩa pueri mẽbra, omnesque partes perficiuntur, eisque perfectis quæ superfluunt, foras emittuntur, tãtaque in eo corpusculo excrementorũ copia cõspicitur, ut nõ secus ac cerã mucosam carnẽ nutrices forment, ac tractent; ea ætas magis apposita esse uidetur fascino inferendo: et nihilominus ex mollium infantiũ tactu adeo intẽperato, nec nutrices, nec tangentes inficiũtur, aut minimam labẽ contrahunt. Quod si tunc non accidit, neque ẽt accidere potest illorum ætate florescẽte. At, si excremẽtorũ naturã propriùs perscrutari uelimus, nec in senio qdẽ hominem id facere posse uidebimus: nam etsi ea ętate oculi lacrymis suffundantur, nares mucosa distillatione manẽt; in ore saliuæ, et excreatus copia abundet: oẽs articuli quodã modo mucosi appareãt; internè deniq; & externè pituitoso humore, et mucoso totum corpus scateat; q̃ senum incõmoda sunt: tamen hanc excrementorũ humiditatem nemini unquam fascinũ intulisse cõperimus. Si ergo senes, frigidi, nigri, liuidi, & superfluitatibus perfluentes hæc nõ iaculãtur mala; cùm concoctionem, digestionem, sensum, motum, ac denique oblæsa et uitiata oĩa habeãt, totumq; corpus ueluti tabes existat, nec pueri ex ciborũ cruditate uomẽtes, deiectiones putridas, et asperas, ac nutritioni cõtrarias proijcientes: in nulla ætate id fieri ab homine potest; eoque tẽpore minus, cùm ad florentem ætatem peruenit. Tunc enim intellectum, sensum, omnes denique corporis partes, atque actiones ad summã perfectionem, bonitatemque natura perduxit. Non itaque ex corporis instrumentis fascinãdi potestas homi-

Nec infans nec senex fascinat.

Senectuti accidẽtia.

nibus inest. Nec ex cibis, quibus homines vescuntur: quia, si ex ipsis fascinandi vis oriretur, in omnibus corporibus iisdem cibis vtentibus eandem fascinandi proprietatem ingenerarent; quod fieri nõ videmus. Quòd si cibi virulenta præditi sunt virtute, vt illi fuerunt, q̃ bus quedã puella nutrita fuit, cuius amplexu Regi cuidã mors parata fuit; id fieri non potest, nisi magno tẽporis spatio, nec postea ꝑ simplicem cõtactum nisi per sudoris admistionem obesse potest, at quia aniculæ, & mulierculæ quædam in hac diabolica prauitate edoctæ, & exercitatæ, leuissimo contactu exitialem, ac lethalẽ effectum in illis, quæ attingunt, efficiunt: ideo non nisi dæmonibus, eiusmodi effectus, & non tangentibus adscribendi sunt. omne enim animal cibo sibi idoneo alitur is verò cuique cibus cõueniens, & idoneus est, quẽ in suam quisque naturam vertit; contrarium namque respuit. At si natura debilis est, et segregatrix, et expultrix facultas suo munere fungi in expellendis nociuis nõ potest, si calida excremẽta sunt, vel frigida, aut cuiuscũque proprietatis, graues morbos in corpore generant, vt in lib. de atra bile Galen. inquit: q̃ quidem morbi, si tangentibus obeße debent, priùs corpus eiusmodi ægritudine affectum reddent, quàm alijs noceant. Sturno enim Cicuta cibus est, homini autem lethale venenum, Luc. poeta auctore. ita quoque veratrũ coturnicẽ nutrit, hominem statim interficit; quia coturnicũ temperies sibi simile veratrum reddere potest, q̃d hominũ proprietas nõ potest. Verùm si quis ex hominibus veratrũ edere tentaret, tantum abest vt suo cõtactu quẽpiam inficere posset, vt sibi ipsi mortẽ statim pararet. Sed fac in hominum corporibus, atque instrumentis sum-

Argumẽtũ de puella ueneno nutrita resoluitur.

Dæmonibus fascinatio ascribenda.

Morborũ origo ex Gal.

Cicuta sturno, ueratrum coturnici cibus est.

summum calorem, aut frigus, aut quamuis excessiuam aliam qualitatem reperiri: nunquam per ipsam quemquam fascinare posse inueniemus; quin priùs propriũ corpus eiusmodi qualitate inficiat, quo casu non fascinum, sed potius contagium appellandum erit; & in quinto modo à nobis in 2. Cap. aßignato collocari debet. Ad similitudinem autem quæ de marina torpedine, serpente, Hyæna, Vipera, ac reliquis adducitur, dicimus eam roboris nihil prorsus habere: quia, cùm homines & bruta specie differant, proprietatibus quoque omnino diuersis præditi sunt. In alimento quoque, vt diximus, differunt, & in generandi modo, neque in iisdem locis degunt: non enim in limo, in colluuie, in paludibus, in plantis; fructibusque putribus, in visceribus terræ homo nascitur, ac victitat, vt animalia venenosa. Eiusdem farinæ est exemplum de Echeneide Remora dicta: quæ, vt eiusmodi proprietate nauem sistẽdi prædita sit, quid tum commune cum homine habet? Quo pacto ex piscis natura, hominum virtutem ac proprietatem metiri possumus? hic profectò demonstrationis modus ab Aristotele in libris Posteriorum exploditur, ac scire per causam propter quam res est, nos oportere docuit, & non per generalissima, & remotissima ac disparata, et penitus diuersa principia: quæ cùm re scita aut paruam, aut nullam cognationem habeant, sicuti in re nostra nunc accidit, cùm ex Echeneide pisce hominum proprietatem inferre volumus, quem piscẽ, non causam, sed signum potius illius retentionis esse quidam arbitrantur, vt illic, vbi nauigia sistuntur, Magnetis montes subesse ostendat; ex quibus montibus species ferri clauos, quibus nauigia adstricta sunt, pe-

Argumẽta ab animalibus insc:entibus sumpta resoluuntur.

Scire est p causam ꝓpiam, & non communem.

Echeneis nauim minimè remoratur.

tunt, ferrumque adeo tenaciter ac vehemẽter tenent, vt vix inde extrahi nauigia queant, idq; inde roborari aiũt: nã quibusdã in partibus nautæ verẽtes ne nauigia vel retardẽtur, vel ex illis ferrei claui ob magnetis mõtiũ copiam extrahantur, clauis ligneis in contabulãdis nauigijs vtuntur. ex quibus concludũt, Echeneidẽ circa magnetis scopulos uel montes uictitare, nauiumque retentionem ostendere, & non efficere. Non enim uerisimile est, tam paruulum pisciculum sua natura ea uirtute præditum esse, ut tã uasta nauigia remoretur, ac tantas uires, tantosque uentorum impetus compescat. aliam ergo causam esse oportet, quàm paruulum illum pisciculum, quæ tãtorum effectuum causa existat: sed, ut uerum fatear, nauis retentionem, neque tam minuto pisciculo; neque magnetis mõtibus adscriberem; sed potiùs id ad aliquod ignotum, & ex accidenti obiectum impedimentum referendum putarem: tum quia raro illud euenisse legitur, & ut Arist. in 2.° de Phys. auditu docet, q̃ raro fiunt, ad casum spectant; tum etiam quia eiusmodi magnetis montes nauigia impedientes nullibi, nec leguntur, nec timentur, nec uidentur, & nihilominus omnia ferè maria à nautis sulcantur. Quod autem dicitur, laminam ferream altera ex parte magnete attritam ac in æquilibrio suspensam, ad oras septentrionales conuerti, ui ipsius magnetis attractam, cuius maxima moles in ipsis locis reperiri fertur: mihi uerisimilius uidetur, non ex magnetis, & ferri montibus, usque ad illud ferramentum magnete temperatum species distendi, ac porrigi: tũ quia ilibi effoditur, & tamen ferrum eo illitum non ad fodinam, sed ad septemtrionis polũ dirigitur, tũ etiã quia

Ferrũ magnete attritũ cur ad septentrionẽ spectet.

omnem

omnem actionem in debita, & non in difformi distantia fieri oportet, Aristotele teste: non. n. credibile est, species in tam immensa distantia, ab illis montibus eò usque pertingere posse; sed potius id fieri ob occultum consensum, ac propensionem, quam magnes, qua lamina illa attrita est, ad partes illas habet: idq́; clarius & manifestius fiet, si modum quo magnes ferrum trahat, ostendamus. Alexander Aphrodisiensis cùm causam redderet, quare Herculeus lapis ferrũ trahat, reprehendit Empedoclem, qui dicebat, quòd ex defluxibus, qui ex utroq; fluunt, & ex meatibus lapidis, qui cum meatibus ferri cõmensurati sunt, ferrum ad lapidem trahitur: quia lapidis defluxus aerem, qui est in meatibus, ipsos operientem propellunt & mouent: hoc autem separato defluxu, toto simul fluente, ferrum sequitur. Cùm autẽ feruntur ab ipso defluxus ad lapidis meatus, quia sunt ei commensurati, & cõueniunt, ferrum ipsum cum defluxibus sequitur, & fertur, & huius opinionis Poeta Lucretius fuisse uidetur, ut in calce 7. c. lib. 1. diximus. Democritus quoq; reprehenditur, asserens defluxus fieri, & similia ad similia ferri, ac ferrum ex similibus atomis cõstare, tenuioribus aũt atomis lapidẽ esse conflatum, & esse rariorem, ac pluribus uacuitatibus patentem, & ob id mobiliorẽ ad ferrum citius deferri. Diogenes ẽt Apolloniates arguitur, ductilia omnia dicens nata esse aliquid emittere, à seipsis nata esse humiditatem quãdam trahere ab extrinseco: & quia lapis est ferro rarior, ideò plus humidi à circumfuso aere trahit, q̃ emittat. Quod uerò sibi cognatũ & simile est, recipit: quod autem non est sibi simile, respuit. Verùm quoniam ferrum est sibi cognatum ob cõgregationem

Actio omnis in debita distãtia fit.

Philosophorũ variæ sententiæ de magnetis vi.

humidi in ipso reperti, hinc est quòd magnes ferrum trahit. Ferrum verò non è cōtra lapidem trahit, eò q̄a ferrum non adeò rarum est, vt congregatā ab ipso humiditatem recipiat, harum opinionum confutationes breuitatis causa prætermittimus. Sed plures attrahēdi modi ab Alexandro enumerantur, quò ille inueniatur, cuius causa lapis ferrum trahat. Vnde dicit, ꝙ quædam vi & actu trahunt, & hæc cùm mouētur mouent: quo quidem modo Herculeus lapis, qui immobilis est, non mouet, quia nec ferrum tangit, nec medium aerem trahit, aut aquam, sed ipsum per ipsa trahit: nec vt cucurbitula caliditate intermedia aerem intermediū; in illa enim ignis motus & exiens proximum humidum trahit. Si hoc modo lapis traheret, omnia quæ in aere sunt leuiora ferro, ad lapidē priùs quàm ferrū traherētur. Matrix præterea viri semen, & venæ nutrimētum trahere videtur: lapis aūt non sic ferrum trahit, cuius ratio est, quia horum quęcunq; trahunt, inde habēt, eo ꝙ aerē & humidum prius medium trahunt; ad quorum motum alia trahuntur, & sic per accidens, & nō per se trahi vidētur. Sol insuper aquā trahit, quia cùm à solis caliditate terra & aqua in vapores mutātur, ad locū sibi naturalē sursum feruntur, nec ita lapis ferrū trahere pōt, non. n. ferrum mutat. Nutrimentū ēt animal trahit, & omne cōcupiscibile & appetibile, cōcupiscentem & appetentē trahit, nō faciēdo id quod inter appetentē est, sibijpsi simile: nō. n. fit nutrimentum, ipsum intermedium, nec hoc trahitur: sed motum intermedium appetibile ei speciē præbet, quod mouetur, vt in visione fit. Sic & ferrum ad lapidē fertur, nō trahentē ipsum vi ad se, sed eius desiderio, quo ipse indiget. Nō. n. quæ

Varij attrahendi modi ex Alc.

Ferrum ad lapidē fertur eius desiderio.

sen-

sensum tantùm habẽt, & animata sunt, tantum deside-rãt, quod eis naturale est, sed inanimatorum multa hoc pacto se habẽt. Quæ Alex. opinio si rectè ꝑpendatur, ab alijs enumeratis, & præsertim à Democriti opinione nõ discedit: is. n. à similibus similia trahi asserit, q̃a omne simile sibi simile appetit, vt Arist. est in Peripatetica schola ventilata sñia. Et sic ẽt Alex. ait, ꝙ lapis ferrũ trahit, sicut appetibile et cõcupiscibile appetentẽ et cõcupiscentẽ trahere cõspiciuntur: modò appetẽtis & cõcupiscentis attractio nõ nisi à simili fit. Quòd aũt simile ad sibi simile moueatur, clarũ est, idq́; in elemẽtis, & in alijs manifestum est. In aqua quidẽ inter bullas illas quæ fiunt, vnã ad aliã accedere videmus, eoq́; velocius quo proximiores fiũt. In igne quoq; sæpius uidere est, paruã flammã à maiori mira celeritate trahi. Quid? cibus & potus ab esuriẽtibus & sitientibus q̃ uelocißimè absumitur, ob similitudinẽ quæ inter utrosq; reperitur? Sicut igitur in elemtntis, simile ad simile trahitur, ita in oĩbus est, eademq́; in oĩbus rõ & finis trahendi est. Sed interdũ illud quod trahendi principiũ est, validißimum reperitur, interdũ debile, ueluti forma à qua emanat, existit. Hinc est, ut idẽ magnetis frustũ attractionis diuersitatẽ faciat, & ex una parte uelocius, ex altera tardius ferrũ trahat: nec ꝑprea ex hoc exẽplo à magnete sumpto fascinum per tactum fieri inferendum est, cùm, vt sæpius diximus, similitudo nulla sit. Fac. n. à magnete ferrum trahi, aut narratis modis, aut ex astrorum decursu, quo ad boreales partes dirigatur, aut ex diuina uirtute mouente, ut ait Plato, aut ex totius substãtiæ ui, formaq́; specifica, nunquã per eã fascinum arguemus. Illud verò de tauro ficui alligato uerisimile nõ est.

Simile à simili trahitur.

Quòd autem è cepe & allio lacrymæ nobis eliciantur, mirum non est, & sic è pipere sternutamentũ, exhalãt nimirum ex omnibus his, ac circumquaq; insensibilia corpora feruntur, quorum diuersæ sunt actiones & vires, nosq; alterare sua vi possunt. Id uerò quod dicitur, quorundam contactus tabem aliquibus inferre, venena tollere, lienosis mederi, ad rem nõ facit, cùm per id probari fascinum nequeat: nihilominus longiori sermone de his & similibus inferius agemus. Nec ex confosso cadauere ad inimici conspectum, sanguinem emittente, hominis uiui proprietatem inferre debemus, quia æqui uocè & non uniuocè, ut in anteprædicamentis Aristotelis dicitur, homo mortuus ad viuũ se habet: & fac cadauer ad interfectoris præsentiam sanguinẽ emittere, quid postea? num ex hoc fascinãdi uim colligere possumus? non sanè. Siquidem cadauer lõgè diuersam à priori est sortitum naturam, & per occultum dissensum, cũ interfectore ad sanguinem ebulliendum moueri potest, qui quidem latens dissensus, cùm cognitu difficilis sit, eius completam rationem reddere, (si id modò uerum sit) non possumus. Ad id namque asserendum nonnulli moti esse possunt, ob sanguinem in interfectoris conspectu à cadauere casu fluẽtem, quod certè interfectori nõ bene adscribitur: quia quæ casu fiunt, non ab una, sed à multiplici causa dependent: & hæc cã incerta est, ideò ab huiuscemodi effectu penitus remoueri debet: & inter alia fieri põt, ut moto, agitatoq; corpore sanguis qui in uenis delitescit, erumpat, cùm uenarum ora per motum reserentur, nec id ad interfectoris conspectum magis, quàm coram quocunq; alio. Ab vnisono autem alterum, aut plures vnisonos moueri nihil refert: quia chordæ

Vulnera interfecti an sanguinẽ coram interfectore emittant.

Fides vnisona cur vnisonam impellat.

chordæ eodem tensæ sunt modo, consimiles aeris undationes & facere & recipere aptæ sunt: quę uerò dissimiliter tensę sunt, non eodem modo moueri queunt: minimeq; mirum est, chordas agninas lupinis esse contrarias, quia contrariæ species ex utrisque emittuntur. Ruta uerò brassicæ contraria nō est: quòd si altera iuxta alteram sata arescit, inde accidit, quia utraque calida est, & ob humiditatis inopiam ambas arefieri contingit. Non igitur ex tangendi uirtute, nō ex corporis instrumentis, non ex cibis quibus homines uescuntur, nec alio quouis modo fascinum eiaculari potest. Ruta apud brassicā sata cur arescat.

Vox sua natura fascinandi vi caret, atque nomina, uerba, characteres, & numeri nihil efficere amplius possunt, quàm id præ se ferre, ad quod significandū instituta fuerunt. Cap. XI.

RES omnes quarum cognitio & cōtemplatio ad homines spectat, dum ab hominum intellectu percipiuntur; ab illis simulacra quædam & similitudines abstrahuntur atque formantur, quæ passim mentis affectus seu animi sensus, cogitationesve appellantur. Verùm quia huiusmodi cogitationes occultissimæ sunt, ac ueluti in penitiori loco latētes & penitus ignotæ, ideò uocibus tanquam signis quibusdam ad eas significādas & exprimendas, & cum alijs communicandas utimur. Cùm autem hæ uoces, nec permanentes, nec omnes unitæ, nec omnibus pręsentes esse possint, nam simul atque ab ore emittuntur, euanescunt: scripta inuenta sunt, ut D. Augustinus ait, quæ omnia hæc optimè præstare possunt. Et hinc Aristoteles inquit, Sunt igitur ea quæ sunt in uoce, earum quæ sunt in anima passionū notæ,

Res per simulacra cognoscunt.

Vox cur nobis data sit

Scripta cur inuēta fuerint.

notæ, & ea quæ scribuntur, earum quæ dicuntur. Quid sicut scripta uoces perpetuas ac manifestas reddunt, ita uoces internos sensus perinde explicant, ac pictura eius rei imaginem refert, à qua extracta est: huiusmodi autem vocum, ac nominum cunctorum significatus non natura, sed ex hominum consensu & libito est. Nā licet illorum materia spiritus sit, qui à natura est, nihilominus quia forma est determinata articulatio, quæ ab organis animali insitis non secus in spiritum à pulmone, & aspera arteria ascendentem imprimitur, atq; simulacrum animo, menteq́; excogitatum, in externam materiam pingitur ac formatur; factum est, ut omnia nomina arte, & non natura esse dicantur: est enim forma rei potior ac nobilior pars, à qua, & nomen, & agēdi vim res quælibet sumit, vt Aristoteles sæpissimè fatetur. Domum etenim (vt hoc exemplo utar) quæ ex lapidibus qui natura sunt componitur, non à natura, sed ab arte denominamus. Eodem quoq; pacto de nominibus dicendum est. Et sicut illa operimentum ab æstu, frigore, pluuia, atq; alijs nos tegens, artis opus uocatur, ita hæc instrumenta & signa arte conflata dicuntur, quibus animi affectus alijs notos facimus. Si enim aliquid certi sua natura nomina & uerba significarent, unus & communis significatus esset, sicut apud omnes communis, & eadē est natura, qua ad edendū, bibendum, dormiendum, & ad reliquas actiones naturæ proprias impellimur, ad quas exercendas doctore non indigemus, quia nobis natura insunt, etsi luxus adeò mortaliū corda peruertit, ut exquirendis & cōdiendis dapibus exercitatiores magistros præficiāt, nulliq́; sumptui parcāt, ut suam uoluptatem expleāt. At uerba non eadē apud

Vocis ac picturæ comparatio.

Formæ cuiusque rei potior pars

Verba arte & non natura parata sunt.

omnes

omnes reperiūtur, uerùm illorū uarietas maxima est: quo fit ut nō modò diuersis nominibus & uerbis diuersæ nationes utantur, sed eadē uerba apud diuersas gētes res maximè diuersas significent. Huc accedit, quod qui natura surdi sunt, loqui scirent, quanuis neminē loquentē audiuissent, si uerba, et sermones natura nobis inessent: & hinc falsum illud esse Psammetichi, teste Herod. lib. 2. comprobatur, qui cū haud aliter deprehendere posse diceret, in qua mūdi parte prima hoīum origo fuerit: duos pueros recēs natos inter pecora educādos pastori tradidit, iubens neminē corā eis uocē edere, ne alicuius sermonē perdisceret, ut qualis esset prima uox, quæ erūperet, intelligeretur. Quos pueros biēnio pòst, aperta ianua (intus enim à capris nutriebātur) ambos porrectis pastori manibus, Becas clamitasse ait, quo uerbo Phrygæ panem appellāt. Nā si panem nunquā uiderant, qui appellare poterāt? uerisimilius esset, si lac eos clamitasse dixisset, quo nutriti erāt, quod etiā impossibile est: sicut enim ego lapidē in terræ uisceribus genitū, & nunquā uisum nominare nescio; ita pueros illos, quo ad panē attinet, loqui nesciuisse existimo, & eo magis, quia illi omniū noīum notitiæ expertes erāt. Præterea si nomina à natura essent, illis ea imponere non possemus, ut bene Alexander Aphrod. ait. Nam quemadmodū nos habentes uim percipiendi scientias natura, scientijs tamen ipsis natura caremus, alioqui enim scientiarum capaces non essemus; sed illas haberemus & possideremus, quia potentia & actus simul esse non possunt: ita & uis nominum impositiua à natura est, non tamen nomina ipsa, alioqui ipsorum impositionis domini non essemus. Rursus si nomina à natura essent, elementa &

Psammetichi opinio de primo hominum idiomate refellitur.

Argumenta, nomina à natura nō esse, probātia.

Potētia & actus simul esse nō possunt.

syllabas,

syllabas, quibus cōstantur, natura esse oporteret: at quoniam huiusmodi elementa & syllabæ ab hominum uoluntate sunt, & illorum inter omnes nationes differentia maxima est, ideò & nomina ipsa ab arte esse asserēdum est, & non à natura. Quòd si à natura essent, summus mundi opifex Deus uniuersis rebus perfectis, animalia ad Adam primū omnium parentem non adduxisset, ut eis nomina imponeret: qui, cū eius filijs omnibus rebus, quibus iam tū uti cęperat, nomina imposuit, vt Ioseph. testis est in 1. Ant. & Eus. de præp. Euang. quæ quidē sine noīe internosci minimè potuissent. Nec linguas turrim ædificantiū diuisisset, ut per multas, absonasq; uoces intelligētia inter se carerēt, quia propter peccatū gratiam, & non naturam tollit, ut in Angelis qui ab ipso desciuerūt, clarum est. Vnde si nomina à natura essent, & ea sustulisset, naturā sustulisse uideretur. Si igitur nomina ab arte formantur, ut probauimus, & nostrarū intentionum signa tantùm sunt, per ipsa nihil amplius efficere possumus, quàm ea quæ mente concepimus, alijs notificare: ergo fascinandi, interficiendi, & alia innumera mala inferendi uim eis adscribere nō debemus. Omnia siquidem quæ oratione exprimere possumus, uel Deus, uel perfectiones ad Deum spectantes, uel Angeli, uel cœli, uel tempus, uel elementa, uel mundi partes, uel animalia, uel plantæ, aut ea quæ in terræ uisceribus generātur, sunt, uel quid aliud quod hoīes cogitare et inuestigare possunt: sed nec Deus, nec eius perfectiones, aut Angeli ad huiusmodi scelera perpetranda concurrūt, ut clarum est: nec cęli, quia cùm uniuersales causæ sunt, omnibus eandē efficiendi uim instillant, nec in rē artificialē aliquid immittere possunt: nec tēpus,

Deus propter peccata gratiam & non naturā tollit.

Argumēta verba fascinare nōposse asserentia.

cùm

cùm motus causa tantùm sit, ut Arist. in lib. de Physico auditu inquit. Nec mundi partes, Asia enim ab Asia Orientali Regina, Africa ab Affer, uno de composteris Noe, Europa, ab Agenoris Regis filia nomina sumpsisse dicuntur: Non animalia, uel plantæ, uel in terræ uisceribus genita, quoniam, uel à manifesta illorum proprietate, uel ab inuentore, aut à loco, uel similitudine aliqua, aut ab alia causa nomen traxerunt: ideo fascinandi uirtute omnino carent: quinetiam si re ipsa commisceantur, efficere quidquam nequeant, ut credi, aut existimari possit, nominata, & pronuntiata tot tantaq; efficere posse: nec ex genitura eiusmodi potestas homini inesse potest, quia tunc omnibus inesset, quod falsum esse uidemus. Et quamuis aliqui ex familia Diui Pauli, uel Diuæ Catharinæ se esse simulent, serpentis, & Rotæ signa in aliqua corporis parte impressa ostendentes, eaque à natura sibi indita iactitent; tamen falsum esse, sibiq; ea impressisse signa comprobatū est. quia qui à Diuo Paulo genus iactitant, uenena, & serpentes attrectare non audent, nisi priùs ualidissimis remedijs se muniant, aut serpentibus dentes euellant. Qui autem Diuæ Catharinæ agnationi sese inserunt, & uiuos carbones manu paruo temporis spatio tenent, in feruentem oleum, aut aquam manū immittūt, in ignitum furnum ingrediuntur, hoc ut populum in admirationē, & ad sibi credendum adducant faciunt, quia iam expertum est, quòd sibi illa signa imprimūt, seque maluę, mercurialis, aut aliarum herbarū succis ungunt, quibus ab igne aliquo temporis interuallo se defendunt. Vnde accidit, ut quodam homine salutatore: (sic enim illi dicuntur) furnum ignitū ingresso, furnus clausus fuerit, & salutator perierit.

D. Pauli & D. Catharinę gentilis sunt impostores.

Salutatorū impostura.

Nec

Nec ex singulari animæ potestate ea vis habetur, nam per imaginationem, vt diximus, ea fieri nequeunt: & nihilominus imaginatio tot, tantaque incredibilia efficere poße existimatur. Quòd si ipsi non inest, cui maximè inesse videtur, fieri non potest, vt alijs animæ potentijs insit, quibus minus verisimile est eam inesse. Nec ex spe, vel persuasione, vel ex fide verba fascinandi potestatem habere possunt; quia hæc omni transeunte actione carent, & nihil penitus in rem externã agere queunt; sed homines qui hac insania agitantur, in varia duntaxat deliramenta, & insanias rapiunt. namque talium rerum spes, persuasio, ac fides quæ est ingenita quædam credulitas, non nisi in superstitiosis quibusdam reperitur, extra quorum corpora nil agere possunt. Non igitur voces, aut verba vim aliam habere possunt, quàm illam quam primi Antecessores nostri eis imposuerunt & attribuerunt, vt scilicet notæ tantùm, & signa essent, quibus alter alteri quidquid animo concepißet, manifestaret. Oratio enim quantitas quædam est, quæ agendi principium eße non potest. Insuper actio naturalis inter illa esse non potest, quorum materia non est communis, & eiusdẽ rationis, vel vniuocè, vel analogicè: calor enim igni inhærens, contrarius non est frigori, quod animo concipitur; illi tamen aduersatur, quod in aqua reperitur. sed verba, & characteres cum rebus externis nihil omnino cõmune habẽt, propter quod illa agere, & hæ pati queant: ergo quæ de ipsis dicuntur mendacia sunt. Huc accedit, quòd actio quæ à natura est, vt aliàs diximus, effici non potest, nisi agẽs corpore, vel virtute, & qualitate aliqua rẽ quam afficere vult, tãgat, prout cęlũ hęc inferiora, lumine, &

Vera vocis & verborũ vis.

Actio naturalis est inter ea quæ habẽt communẽ materiam.

motu,

motu, per attritum aerẽ calefacit: at verba res, & præsertim absentes nullo pacto tangere poßunt, cùm ad res non deferantur, quemadmodũ ab arcu sagitta cũ excutitur: Ergo. Prẹterea, si quæ vis verbis ineßet, aut ex forma, aut ex materia illã haberẽt; sed neq; ex forma, quia artificialis est, & illis tantùm nota, qui eã formarũt, et nihilominus superstitiosi, quasdã barbaras voces aßumunt, quas nõ illi tantũ, sed nec vlli hominũ intelligere poßunt. Vnde sequitur, vt Dęmonũ illusiones eiusmodi characteres, & verba existãt, vt dicemus. Nec ex materia, quia cũ spiritus sit, & ex pectore per asperã arteriã, in larynge effingatur, vim aliã habere nõ põt, quàm reliqui nostri corporis halitus, qui simul atq; extra corpus emissi sũt, dispergũtur: nullã ergo vim habẽt. Quòd si expirationis materia peculiarẽ uim haberet, eãdẽ sub quacunq; artificiali materia possideret: ideo quibus verbis uterẽtur nõ referret, quin ne verbis quidẽ opus foret, sola enim efflatio satis eßet: q̃ tanto maiores vires haberet, quãto vberius effunderetur. Superstitiosi autẽ in selectis solùm, & exquisitis uerbis uim esse cõtendũt. Et licet sua uirtute uerba res remotas attingere diceremus, quod falsum est; eis tamen miram efficiendi virtutem adscribere nõ possumus. Nec per se quatenus uerba sunt, nec ut indeterminata materia reperiuntur. Non primum, quia cùm per se præsupponat de omni, vt Arist. in lib posterior. ait, omnia ucrba eandem potestatem habere oportet. Non secundum, quia singulis horæ momentis pro humoris, & sanguinis qualitate materia est longè diuersa, quia affectus, & spiritus circa cor nunquam ijdem sunt; sed pro ciborum, & diuersarum qualitatum uarietate, ac motu variantur.

Nec ex materia nec ex forma verba vim habent.

Adde etiam quòd si uerba aliā quàm sensus animi exprimendi uim haberent, Arist. non dixißet, Rem, nec ueram, nec falsam eße propter affirmationem, uel negationem nostram: sed tunc oratio nostra est uera, cùm rebus est cōformis, unde non sermoni rem, sed sermonem rei conformem reddere conamur. At cùm verba causæ nō sint, & plures ipsis ꝓlatis effectus sequi uideamus, ut pueros ęgrotare, alios macie confici, uiros ab uxorio concubitu arceri, abortum fieri, equos, & tauros concidere, ac propè innumera alia huiusmodi; fateri oportet, aut signa illorum effectuum esse, aut accidēs quoddam; ueluti cū aliquis ambulat, lapis è tecto cadit. Signa quæ à natura sunt, eße nequeunt; omne enim naturale rei signum, aut illiusmet rei causa, aut effectus, ab eadē causa emanat, à qua, id quod significat, fit. Quòd causę esse non possint, demonstratum est: quòd nec effectus, ex se liquidò constat. Quòd uerò utrumque ab una causa non fiat, clarum est, rubedo namque serotina, ut hoc exemplo, quod dico clarius fiat, serenitatis signum eße consueuit, & ab eadem causa oritur, à qua serenitas ipsa, ad quam quidem serenitatem rubedo nihil confert. Quòd si sunt signa ex mutuo consensu, artificialia non naturalia eße neceße est, ueluti tympana, & alia instrumenta quibus utimur in pręlijs. Non enim legimus, Deū promisiße certis et determinatis uerbis, aut characteribus talia in admirationē ducentia se facturum. Si namque Deus uellet, miracula unà cū uerbis efficere posset: quę uerba ad miraculorum actionem nihil cōferrent: ueluti Numerorum lib. 5. Cap. scriptum legimus de cęremonijs, quę ob adulterij suspicionem fiebāt, in quibus inter alia, uerba quędam in libello descripta aqua in fictili

Res nec vera nec falsa propter affirmationem vel negationem nostram.

Rubedinis serotinę exemplum.

Cæremoniæ Iudęorum ob suspicionem adulterij.

uase

vase delebant; qua aqua epota, mira quædam in muliere accidere conspiciebantur, nec inter homines simile pactum reperitur, quo alter alteri ad obtemperandum per hæc aut illa verba, & characteres astringatur. Sed pro clariori huius materiæ intelligentia, non est ignorandum, uerba, aut ad homines, aut ad Deum referri: quocunque modo sint, duobus modis considerari possunt: aut cum intentione significandi, & efficiendi simul: & tunc si verba ad homines inter homines referantur, efficere extra se possũt, ut res vnius in alterius potestatē transferatur, dicēdo, uel per contractũ, vel per simplicem rei assignationem, hoc est tuum, & illud meum, & similia: illico enim res transit in alienum dominium, quoniam dominus de re sua sic facere constituerat, & postea idem verbis expreßit. Si autem ad Deum spectent, & à Sacerdote ritè, & debitè proferantur, mutant panem, & vinum in corpus & sanguinem Christi, ac cætera sacramenta efficiũt; accedit nãque verbum ad elementum, & fit sacramentum. Deus Opt. Max. mundum, & vniuersas in eo contentas species ex nihilo creauit: dixit, & omnia facta sunt, non uerba proferendo, sed uoluntate imperando. Sic Dominus Iesus Christus dũ in terris uiueret, corporũ morbos, quãuis atroces, et inueteratos pellebat, et mortuos ad uitã excitabat. Nõ enim erat sermo magicus, sed omnipotens sermo Patris omnipotentis. Idem sermo profligat animorum morbos cùm ait, Fili remittũtur tibi peccata tua. quod qa solius Dei est, meritò in Græcorũ adagijs dictũ est, animi laborantis medicum esse sermonem. qui quidē diuinus sermo si per sinceram fidē charitate informatam semel ab homine proferatur, omnes

Verba duebus modis consideratur.

Trãssubstãtiatio.

Diuini uerbi uis.

Animo laborãti sermo medicus.

animorum morbos aufert. Sicut in illis uerbis (ut tetigimus) uidere est, quæ in sacramentorum confectione dicuntur. Nam quemadmodum amici medici si quando ægrotis semper adeße nõ licet, pharmacum aliquod relinquere solent, quò sibi qui laborant medici esse possint, si ita res postulet: ita Dominus Iesus in cælum reuersurus, nobis per Apostolos suos diuinum sermonẽ, hoc est Euangelij pharmacum reliquit, facile quidẽ, & cuiuis expositum, sed efficax: quod si quis opportunè sumpserit, illico ab animi morbis liberatur. nec id gustasse satis est, sed in uiscera quoque admittendum est; ut corde receptum per omnes sensus illius uis diffundatur. & tunc demum pristinæ uitæ odio totum hominẽ concutere incipiat, quam quidem perturbationem magna animi tranquillitas sequitur Vis audire diuinum sermonem, id est, reubarbarum Euangelicũ? pœnitẽtiã agite: & mortificate membra uestra: ac mox, exspoliãtes uos ueterem hominẽ cũ actibus suis: & rursus, Induite uos sicut Sancti Dei electi uiscera misericordiæ, benignitatem, humilitatẽ, modestiam, patiẽtiã, super omnia autem charitatem habete. q̃ uirtus non modo diuino sermoni inerat, sed Iesu Christi saliuæ, & oĩbus rebus ad eum spectantibus, ut de uestimẽtis patet, quorum fimbriam mulier, quæ sanguinis profluuio duodecim annos laborauerat, tetigit, & statim conualuit: ut Matth. 9 cap. legitur. Quid? quòd Petri quoq; umbra omnes ægritudines auferebat, ut in 5. Actuum Apost. uidere est. adeo diuinus sermo, ac uirtus potẽtissima, et ualidißima omnem humanam intelligentiam superat. Dei igitur uerbũ actiuum, et operatoriũ est, ut Diuus Ambros. ait, & ei oĩa obtemperant, ita inquiens, Si

Euangelici uerbi uis.

Pharmacũ saluberrimum sermo Dei.

Verbo Dei omnia parent ex D. Ambros.

tanta

tanta uis in sermone Domini Iesu, ut inciperet eßе qđ non erat, quantò magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud cōmutentur? nec propria uirtute, sed instrumētali diuinitus recepta id uerba efficiunt. Si uerò cum intētione significandi tātum uerba sumantur, oībus uerbis, orationibus, & enunciationibus id cōmune esse dicimus, ut probauimus; nec aliud efficere possunt, quàm intētū nostrū exprimere. Quid ꝙ uerba, & characteres ad res uita carentes, quādoq; applicātur? Anne ea percipiūt? annō luce meridiana clarius est, ea dæmonū pacta, signa, et cōuēta eßе? et ex hominū credulitate dæmonibus ꝑdocētibus, et suggerētibus īuēta esse? idq; ꝙ fatuū sit, etiā gentiles non ignorarunt. Ouid. enim de Marsis serpētes incantantibus ita inquit,

Verba & characteres Dæmonum pacta sunt.

Nec mediæ Marsis findūtur cantibus angues,
Nec redit in fontes vnda supina suos.

Athenis quoq; lege cautū fuiße legimus, ne qs uerbis mederetur. Vnde cùm in Achaia quandam mulierem eße Athenienſ. cognouißet; ꝙ uerbis medebatur, eā lapidibus obruendā dederunt: asserentes non uerbis, sed lapidibus, herbis, et animalibus Deos immortales sānādi uim dedisse. Verū qd numeri efficeee queāt, enodādū est. Pythagoras Deum, animas nostras, & ꝙ in rerum uniuersitate sunt, cuncta numeris constare aßeruit, & ex illorum concentu, & harmonia, uniuersa pro gigni credidit. quos quidem numeros postea Plato ab Italicis Philosophis, ꝗ Pythagoreæ disciplinæ præceptorū sectatores erāt, edoctus, et clariores, et apertiores reddidit. tametsi nō ita aperuit qn à maxima eorū parte lectorē excludat. Vnde illud de re obscura apud Ciceronē ad Atticū scribentē, Numeri Platonis itaq;

Athenienſiū lex uerborū medelā prohibens.

Numeri an fascinent.

Pythag. numeris quātum tribuerit.

Numeri Platonis.

numerorum mysteria tam mysteriosè tradiderunt, ut etiam professores ipsos, ne dum profanum vulgus, atque idiotas voluisse celare videantur. Cicero de septenario numero ita dicit, Qui numerus rerum omnium ferè nodus est, & in eodem Scipionis somnio septenarium, et octonarium numerum plenum vocat. cuius rei Macrobius rationem reddit, & imparem numerū marem, & parem fœminam dicit; sicut Arithmetici imparem patris, & parē matris appellatione venerātur. Nōnulli verò Pythagoræ sectatores, numeris, characteribus, & figuris maximam vim tribuebant, qđ sibi inde persuadebant, quoniam numeri & lineæ omnes ad mathematicum spectant, mathematicus autem res abstractiores, ac formaliores, quàm naturalis Philosophus contemplatur; & cùm virtus formam sequatur, per numeros, veluti per efficaciorem virtutem omnia fieri existimabant, eoque magis, quia quæ minus ab alijs dependent, vt sunt intelligentiæ separatæ, quas Angelos vocamus, in suis quoque actionibus minus depēdent, & virtute pollentiores sunt. hinc est, quòd vim efficiendi maiorē habere dicebantur, quàm res, quæ natura sunt. Accedit etiam, quòd elemēta, quæ sunt mundi partes, ex quibus omnia fieri videmus, quaternario numero definita sunt; planetæ septenario, & Zodiaci signa duodenario; & quia illis rerū vicissitudines adscribuntur, ideo numeris tantam vim tribuebant; à qua sentētia medici, qui septimestrē partum viuere, & octimestrē mori dicunt, non omnino abhorrēt; aßerentes insuper, annorum numeros semper aliquid mutationis afferre consueuisse: cuius instabilitas omnes qui per septem & nouem consurgunt, decretorij dicuntur:

Numerus ipar, mas; par uerò fœmina ē.

Mathematicus res abstractiores quā naturalis philosophus contēplatur.

Quæcunq; in orbe cōtinētur, numeris constant.

Anni Climacterici vis.

in

in quibus uel grauißimis morbis, uel domesticæ rei iactura, aut calumnijs magnam mutationem homines subeunt. Vnde Cæsar Augustus, Liuio teste, sibi gratulatus fuit, sexagesimo tertio ætatis suę anno incolumi peracto, qui annorum numerus septimi & noni multiplicatam summam continet. Horum etiam sententia Albertus Magnus fuit, qui figuris & sigillis incredibiles uirtutes ineße credidit: at Arist. in lib. diuinorum, prænarratis uim nullam inesse, demõstratiuis & efficacißimis rationibus probat. Nos uerò Pythagoricorũ rationes cõtra ipsos uertere poßumus. nam licet mathematicus res maximè abstractas contempletur, illa tamen abstractio & forma per intellectus actionem fit, ideò artificialis appellatur: ars autem naturalem uim non habet, & uirtus naturalem & nõ artificialem formam sequitur. Nec uerum est, quòd quæ mathematicus considerat, ita separata sint ut intelligentię: nam mathematici abstractio ab intellectu & non natura fit. Elementa uerò, planetæ, & Zodiaci signa non ideò agunt, quia tali numero præfinita sunt, sed quia qualitate & efficiendi ui prædita reperiuntur. Aliud uerò de septimestri partu sic diluũt, prętermißa Astrologorum de planetarũ dominio responsione: nempe quòd humani seminis genera duo sunt, quorum alterum septimo, alterum nono mẽse partum edit. Vnde ob imperfectum semẽ octimestris partus non uiuit, quia non datur semen quod ad illud tempus fœtũ procreare ualeat, sicut in genere tritici quoddam est, quod tribus mensibus gignitur, quoddã quod mensibus nouem, ideò non ratione numeri ille uiuit, & hic moritur. Ad aliud vulgò responderi solet, quòd humana corpora certis annorum terminis magnam hu-

Octimestris partus cur non vitalis.

morũ congeriem congesserãt, quorum agitatione ægritudines excitãtur: natura .n. cùm ad nimiã redũdantiã peruenit, in morbum erumpat necesse est. Sed melius dicendum reor, ꝙ cùm D(e)us Opt. Max. ægritudinis & valetudinis, mortis & vitæ, secundarum & aduersarũ rerum auctor sit, hasce rerum uicißitudines tũc mortalibus immittit cùm suæ diuinę prouidentiæ libet. Et si quis annorum cursum rectè cõtemplatus fuerit, hoĩum lõgè plures in mortem, aut in aliud graue malum incidisse inueniet, in alijs ætatis vniuscuiusq; annis, q̃ climacterico qui ex nono & septimo cõsurgit. Ad illud Alberti dicimus, eum aliorum opinionem recensere, q̃ id asserebãt, & nõ assertiuè locutum. Numeri igitur & figuræ per se nullã penitus vim habent, at respectu rerũ, quibus numeri & figuræ adscribuntur, vires illis ineße affirmare nõ veremur: namq; sex mãcipia, fortiora sunt quàm duo. Imago regis Philippi, & Gregorij XIII. magis efficax est, quàm villici. Nemo .n. dubitat, nomen Regis & summi Pont. maiorem uim ac dignitatem apud oẽs, q̃ nomen priuatæ alicuius personæ habere: nõ quatenus nomen, sed rõne rei quæ per nomẽ significatur. Scriptores nostræ pietatis Græci & Latini, sacramenta in numeris esse permulta existimarunt. Hieronymus inter oẽs plurimũ numerorum religioni tribuit; qui ẽt nõnullos progenitores eße ex genesi Christi ab Euãgelista p̃termißos ait, ut ad numerum oĩa cõgruerent. Idem in Ezechielem senarium numerum sacramentum creaturarum continere scribit. Et D. Aug. de Ciuit. Dei, inquit, Per senariũ numerũ est operum significata ꝑfectio, subdens, Nec frustra in laudibus Dei dictum est, oĩa in numero, põdere, & mensura dispoſuisti. Vnde i dẽ ait, Ratio

Quãdo numeris vis insit.

Numeri ꝑmulta habent sacramenta.

Numeris q̃ multũ tribuerunt.

tio numeri cõtemnenda nõ est, quæ in multis sanctarum scripturarum locis, q̃ magni æstimãda est, & elucet diligenter intuentibus. Numerũ septenarium magnæ religionis, mysteriiq; fuisse ostendunt Iudæi, qui pp diẽ sabbati multùm eum venerabãtur, vt D. Hiero. in Esaiã dicit. In Christiana ẽt religione magna sunt mysteria, in septenario numero cõclusa, quem Macrobius A. Gellij æmulus, eadem rõne qua D. Aug. laudat & cõmendat. Septenarius .n. numerus septies repetitus, quinquagenarium unominorẽ efficit, qui numerus quinquagenarius gratiã, indulgentiã, libertatẽ & lætitiã præsignat. Quo exẽplo Romana ecclesia quinquagesimo quoq; anno Iubilæi fores aperiebat, Clemẽte VI. iubente. Id quod Xystus IIII. Põt. Max. ob humanæ uitę breuitatẽ, ad vicesimumquintũ annũ redegit. Quadragenarius uerò numerus uitiorum animi & corporis purgationi attributus fuit: sicut anni quadraginta habitationis in deserto filiorũ Israel post exitũ ex Aegypto testãtur, & pluuia quadraginta dierũ & noctiũ diluuij tpe. Eundẽ quadragenarium numerum in cibi & potus abstinentia Saluator noster sanctificauit, quẽ sancta Romana ecclesia imitatur, ut in orationibus corã Gregorio XIII. habitis fusius diximus. Nullus tamẽ ex pijs scriptoribus p huiusmodi numeros quidquã flagitij & prauitatis unquã fieri posse asseruit, sicut superstitiosi quidã, q tot tantaq; mirabilia p ipsos fieri affirmãt. Numeri uerò ex quibus musica cõstat, nõ mirũ est si tot varios effectus in aĩa generent: nõ etenim quatenus numeri sunt, id efficiunt, sed quatenus p ipsos modi sonorũ, hoc est symphoniæ, adinueniũtur: nãq; omne ordinatum & distinctum, ut Arist. in Prob. ait, delectat: ideò sonus uniformis mo-

Quinquagenariũ Iubilæum.

Vicenum quinariũ Iubilæum.

Numerus quadragenarius.

lestus est, quia anima per ipsum nihil addiscit. Si verò soni obstreperi, rauci, discordes ac incõgrui sint, vt molesti recipiuntur, eorumq́; perceptio animæ incommoda est, & auditus mẽbrana veluti icta offenditur, vnde repentè contrahitur, vnaq́; cũ ea neruuli quidam vsq; ad dentium radices, in quem locum subitò nouus aer incidẽs, horrorem quendã circa dẽtes facit, & sic sonus uehemens plus ęquo, plus aeris mouet, quàm sensoriũ ferat. Constat igitur, animam nõ numeris gaudere, vt numeri sunt, nec quia ex eis anima cõposita sit. Plato enim non ideò per numerum eam diffinit, quasi ex eo conflectur, sed quia ex maximis rerum perfectionibus anima constat. Nec tantùm humana anima sonoris numeris delectatur, verùm clitellaria iumenta in labore, itinereq́ue cantu simul ac sibilo leuantur ac reficiuntur: nã assiduo vsu compertum est, multos tintinabulorum sonitu valdè delectari; quapropter muliones diuersa tintinabula illorum collis suspendere solent, quò faciliùs sarcinarum onus perferant. Reliqua autem quæ de musicæ effectibus leguntur, partim vera, partim fabulosa eße existimo. Fieri enim potuit, vt Aegisthus Clytemnæstra nõ priùs potitus fuerit, quàm citharędus, qui illi custos relictus erat, vt probarum mulierum laudes caneret, interfectus esset: & Damõ musicus tibicinæ iusserit, quæ adolescentibus quibusdã temulentis insana quędã agentibus Phrygium canebat, ut mutaret modũ in Doricũ, eoq́; facto illi à temerario impetu destiterint, atq; phalangij morsus sono curatus fuerit, vt indies in Apulia uidere est, & Amatus Lusitanus testis est: prout infantes quoq; ad cunarum agitationem, & nutricum cãtum à vagitu desinunt, & dormiunt. Verùm quòd Terpander

Bruta sonoris gaudẽt numeris.

Musicæ vis.

pander

pander seditionem inter Lacedæmonios cantu sopiuerit, & Thales Cretensem pestem sustulerit, uerisimile non est. Ferunt Platonem cantum, cum Lydium, tum Phrygium adimendum adolescentibus consuluisse: quod alter luctu & mœrore animum affligit, alter ad libidinem irritat; quod à ueritate minimè abhorret. Si uerò nonnulla uerbis intermedijs fieri uideamus, quę à uerborum natura abhorreant, ut cùm tauri furibundi illicò mites fiunt, canes feroces à latratu desistant, pollutio cum mulieribus in somnis procuratur, serpentes non modò sistere, sed rumpi coguntur, iuxta illúd,

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis:

ægritudines per characteres et barbara uerba tollũtur, hæc & alia huiusmodi per dæmones fieri dicimus: ij siquidem quàm maximè conantur, ut nobis imposturam faciant: & ideò uerba effingunt, quibus quasi pactionis signo quędam hominibus euenire student. Qui autem huiusmodi uerbis ad ea consequenda utuntur, tacitũ uel expressum cũ dęmonibus pactum habẽt. Et aliqui licet tale pactum ignorent, & uerbis illis utãtur, tamẽ nihil refert, quoniam is cui primo dæmon ea uerba dictauit, ea lege habuisse existimatur, ut quicunq; illis uteretur, tacitè dæmonem inuocare intelligeretur. Atq; in grauius crimen incidit, qui sacris, q̃ qui profanis uerbis utitur: quippe cũ illa nobis à Deo data sint, ut ad eius nos cognitionem ducant, nostræq; saluti inseruiant, non ut ad diaboli cultum ipsis abuteremur. ut ille impostor innumeris propè modis nobis persuadere studet, tum quia diuina instituta imitari vult, diuini honoris cupidus, tum ut Deum iniuria afficiat, nosq; ad æternos cruciatus, nostræ saluti & fœlicitati inuidens præcipitet.

Dæmones verbis intermedijs mira efficiunt.

Grauius peccãt qui sacris q̃ qui ꝓfanis verbis abutuntur.

Qui

Qui igitur hæc faciunt, ueluti sacramentis quibusdã dæmonibus se obstringunt, quanuis imprudenter id agãt, nec ea intẽtione exequãtur. Et ab illis verbis præcipuè cauendũ puto, quæ à Mauris, Turcis, & à quibuslibet infidelibus tradũtur, qui quia à dæmonibus poßidẽtur, eiusmodi verba, ut dæmonum pacta iure cẽseri debent, quibus si utamur, dæmonib. assentire cogimur. Et quoniã nulla est corporis ægritudo, quæ à dęmonibus Deo permittẽte inferri nequeat, ẽt cum usus rationis impedimento, & internorũ sensuum uexatione, & interitu, vt per sacras historias patet. Hinc est, ꝙ tũc dæmones sanare dicuntur, cùm à malo inferẽdo desistunt: non ꝙ ipsi salutẽ afferre queant, nisi naturaliũ rerum qualitates, quæ eos nõ latent, adhibendo. Quandoq; mala quæ à dæmonibus inferuntur, non modò permittente, sed iubẽte Deo ab illis fiunt, sicut gl. super illud Psal. Immissiones per angelos malos, ait, Deus punit per malos angelos, veluti populũ Israeliticũ sæpè puniuit varijs languoribus, & tunc nullũ naturale remediũ prodesse potest. Ad illud de parentũ execratione in filios, ita respõderi potest, ꝙ cùm pueri adeò parentes excandescere, & atroces execrationes in sese congeri uident, obstupescunt, trepidãt, perturbãtur, ac terrore, metuq; cõcussi, aut in spasmũ incidunt, aut furore ac rabie corripiũtur, menteq; atq; animo alienãtur, tantaq; fit in huiusmodi corporibus spirituũ, humorumq; concursus, agitatio, et intẽperies, ut sensuum instrumẽta conuelli contingat, omnesq; animi facultates inuerti: vnde non modò ætas tenera, sed etiã adultior, quæ reuerentia ac pudore erga parẽtes ducitur, repẽtino terrore, subitaq; animi cõsternatione, tanquã fulmine cõcußa, magnã rationis mentisq;

A Maurorum & Turcarum verbis p̄cipuè cauendũ.

Deus per dæmones mala quãdoque infligit.

Parentum ĩ filios execratio quid faciat.

tisq; iacturã patiatur, nec minorẽ in corpore cladẽ percipiat: & hæc quidẽ mala Deus improbis & ingratis filijs infligere cõsueuit, ob eorundẽ filiorũ irreuerẽtiã erga parẽtes, quibus quotiescunq; aliquis ex filijs maledixerit, mortẽ ei Dominus minatur: iuxta illud, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Et Eccl. 3. legitur, Benedictio patris firmat domos filiorũ, maledictio aũt matris eradicat fundamẽta. At qui cũ uerborũ prolatione vaccas & oues lacte priuãt, dęmones per eiusmodi uerba ad id peragendũ inuocãt; quod si ex alicuius herbæ pastu accidere solet, nõ mirũ si à dęmonib. facilè procuretur. Eodẽ quoq; pacto fulmina, grãdines, pluuiæ, & aliæ aeris perturbationes, uerbis, ueluti dæmonũ pactis, prolatis cõcitãtur: ad hæc enim procurãda sola dæmonũ uirtus naturalis est satis, quia uaporũ ex aqua & terra resolutorũ motu fieri poßunt. Quòd aũt faustis uerbis sternutãtes salutabãt, nõ ideò fiebat, quasi sternutantibus per uerba aliquid afferre possent, sed potius quia cũ sternutamentũ eadem agatur parte, qua flatus eruptio est, augurale signũ, et unũ ex spirituũ generib. sanctũ & sacrũ existimatũ fuit. Hinc mos initiũ sumpsit, ut sternutatio ueluti bonæ ualetudinis index sacra habita sit, & sternutãtes paßim salutẽtur: prætermisso eo quod pestilẽtiæ tẽpore accidisse fertur, quod simul atq; aliquis sternutabat, illicò mortuus concidebat. Simili ẽt pacto oscitãtes ex religione quadã sibi timere constat, quod oscitatio ex somno uel tædio sequi conspiciatur: inde fit ut oscitãtes illicò signo crucis os muniamus. Quãdo autẽ, ut suprà tetigimus, numeri, characteres & verba ad animalia dirigũtur, ad dæmones dirigi censendum est. Non. n. pecudes, uerba intelligere

Fulmina & pluuias dæmonũ uis excitat.

Sternutantes cur salutentur.

Oscitantes cur cruce os muniamus.

Verba quãdo ad dæmones dirigũtur.

possunt,

possunt, nec quidquam eis persuaderi potest, ueluti oratores hominibus persuadent: nam opinio est fides, ut in 3. de Anima, Arist. ait: fides autem persuasione cõcipitur: in quibus ergo opinio & fides non est, nec persuasio reperitur. Et ratio est, quia hæc tria ad rationalem partẽ pertinent, qua bruta animantia omnino carent, etsi per similitudinẽ quandã eis ratio adscribi potest: ut de apum & formicarum prudentia, vulpium astu, canum fidelitate, & alijs innumeris patet, quæ micantis rationis scintillæ uidentur: easq; Albertus Magnus qualitatum temperamento, uariæ dispositioni, aut spiritui uitali, uel sensuum perfectioni, cęlesti influxui, aut denique appetitui & naturæ impulsui adscripsit. Quo quidẽ sensu Arist. in lib. de hist. ani. apes & grues ciuilia animalia appellat; quia ducẽ habent, quem sequuntur. Ad serpentes autem præcipuè dæmones uerba dirigi gaudẽt, quia in huiusmodi animaliũ specie primos parentes deceperunt, & modò eandẽ fallendi artem prosequuntur, cùm hinc à mundi exordio regnandi principium sumpserint. Ad illud uerò Psal. 57. in quo aspide aures obturare dicit, ne incantantis uerba audiat, dicimus cũ Nicolao de Lyra, ꝙ pro aspide peccatores obdurati intelliguntur, qui nolunt audire unde reuocẽtur à suo errore, ut erat Saul, & eius familiares. Sacra namque scriptura, ut sępius diximus, non semper de re, quę uerè est, loqui consueuit, sed loquendi modis in vulgi opinione receptis utitur: atq; inter alia, quę vulgus opinatur, est, ꝙ aspis serpens, quando incantatorem suis carminibus ipsam euocare de latebra uolentẽ, & sibi soporẽ immittere pręuidet, ut carbunculum arripiat, quem in fronte gerere creditur: illa nolẽs exire, aurẽ unã fixã in terra ponit,

Bruta nonnulla quid rationis habent.

Dæmones cur verba ad serpẽtes dirigi uelint.

ponit, alterā cauda obturat, ne magicas incātationis uoces audiat. Per quā quidē similitudinem, obduratā contra Christum Iudæorum perfidiam Propheta ostēdere vult: quia ipsi ne eius & Apostolorum uerba audirēt, aspidis more suas obturabāt aures, unā terra, quia eos nil aliud contra Christum mouit, nisi terra, hoc est rerū caducarū, quæ terræ sunt, cupiditas, ne eas amitterēt; alteram cauda, per quam falsa simulatio notatur. Sicut enim animātis cauda eius turpitudinem, & posteriora operit: ita Iudæi falsa uerborum simulatione malitiam contra Christum tegebant. Nomen uerò incantationis hic positum pro eo, qui uerbi artem exercet, accipitur: Incantator enim, quasi intus in corde cantator, sonat. Vnde quando uerborum arte quis alium ad bonum inducere conatur, bonus incantator appellatur: quando ad malum, malus. Et licet hic in bonam partem accipiatur; quia per incātatorem Christus cum suis Apostolis intelligitur, qui diuino sermone audientes ad Deū conuertebant, semper tamen in malam partem accipi consueuit. Veneficus quoque sic accipitur. dicitur enim faciens, aut componens uenenum, quod sanguini contrarium est; & sic à uena tanquam contrarium uenę, quæ sanguinem continet. Quid ergo uenenum nisi frigidam pœnitentiam notat? quę carni, & sanguini cōtraria est. Ergo Christus, & Apostoli uenefici erāt, qui tale uenenū concionando conficiebant, pœnitentię asperitatem docendo. Vtque de Venefico in bonam partem sumpto intelligeretur, inquit, Venefici incātantis sapiēter. At si uerba sacra, & pię orationes ad fugandos uermes, locustas, & alia nociua animātia, cū deuoto animi affectu dicantur, non ad animantia, quę non intelligunt, sed ad

demo-

Sensus Psalmi: sicut aspidis surdæ, & cætera.

Incātator; & eius etymon.

Veneficius vnde.

Christus & Apostoli venefici.

dęmones per modũ cõpulsionis, & ad Deũ per modum supplicationis referuntur, qui quidẽ Dæmones fortasse eiusmodi luis Deo permittente causa fuerunt, Deusque illis verbis rogatur, ut talia animalia dæmonum fraude in hominũ perniciem congregata destruat. quod etiam in plerisque locis, pluuiarum, uentorum, tonitruorũ, & fulminum tempore eadẽ de causa fieri consueuit: & tũc ad adiurandos dæmones eiusmodi uerba concipiuntur, per squillas quoq; tanquã per cõsecratas tubas arceantur, & ut populus tintinabulis excitatus, Deum cõtra tempestates inuocet. Cæterùm animaduertendũ est, in huiuscemodi orationibus triplicẽ errorem contingere posse, in materia, in forma, & ĩ modo. In materia error est, uel cũ petitur quod iustũ non est, ut sunt amatoriæ preces, uel quæ ad proximi perniciẽ dicũtur, uel cùm in literarũ characteribus, & figuris spes ponitur, & nõ in orationis sensu. Qua de re D. Ioannes Chrysost. super Matth. sic ait. Quidã aliquã partem Euangelij circa collũ portant, sed nonne quotidie Euangelium in Ecclesia legitur, ut audiatur ab omnibus? Cui ergo non prosunt in auribus posita Euãgelia; quomodo possunt circa collum suspensa saluare? & subdit, Vbi est uirtus Euãgelij? in figuris litterarum, an in intellectu sensuum? si in figuris, bene circa collum suspendis; si in intellectu, ergo melius in corde. In forma, cũ uerba uana, aut barbara, uel non intelligibilia ponuntur: uelut Quintus Serenus ait, uerbum Abracadabra subinde littera minus scriptũ, donec in a desinat, pyramidalem formã conficiens, collo suspensum Hemitritæũ depellere. In modo deniq; error est, cùm superstitione quadã ad res uita carẽtes dirigun tur; ut faciũt illi, qui herbas colligunt, psalmos, et alias

Dęmones per squillas arcentur.

In oratione triplex error cõtingit.

D. Chrysosto. sententia de his qui verba ad collum suspendũt.

preces

preces dicentes, quæ si ad herbas dirigantur, cùm non intelligant, frustrà dicuntur: si uerò ad intelligentiam aliquam, quæ uel Deus est, uel Angelus, uel Dęmon. Si Deus est; ergo Deũ rogant, ut naturalibus rebus maiores uires largiatur, quàm ab exordio dederit, & sic ut in hoc miracula absque necessitate faciat, quod ęquum non est, quia Deum tentare non licet, sicut Pharisæi tẽtandi studio à saluatore miracula petebãt. Si Angelus, non exaudiet, quoniam Deus dũtaxat uim rebus maiorem donare potest. Si uerò dęmon, impium & illicitum est: ipse enim omnia agit, ut rudes decipiat, superstitiosos illaqueet, & à recto cultu omnes diuertat. at si quis ob pium animi affectum, ut Deus honoretur, in colligendis herbis symbolum Apostolorum, aut orationem Dominicam dixerit, piè, & non superstitiosè illum agere puto. abusus uero ille uituperandus uidetur, qui in nonnullis partibus inoleuit; ubi si quando locustas, & alia perniciosa animalia è campis expellere uolunt, aliquem adiuratorem in iudicem eligunt, coram quo duo procuratores constituuntur; ex populi parte unus, ex brutorum animalium alter. Populi procurator contra locustas, uel similia animantia iustitiam petit, ad ea exigenda; cui ex aduerso respondet alter, non eße abigenda: tandem seruatis seruãdis, nisi infra certum tempus abeant, contra locustas excommunicationis sententia fertur. qui quidem modus superstitione refertus est: tum quia lis contra animalia ratione carentia agitari non potest, & cùm ex terrę putredine genita sint, culpa carent, tum etiam in blasphemię peccatum inciditur, dum Ecclesię excommunicationi illuditur. perinde etenim est, bruta excommunicationi uelle subijcere,

In colligendis herbis an verba proferre liceat.

Symbolũ in herbis colligẽdis dicere, piũ est.

An excommunicationis sententia in bruta sit ferenda.

ac si quis canem, aut lapidem baptizaret. Quòd autem Berosus Anianus refert, falsum est: in Sacra namque historia non reperitur quòd Cham, quando Noe patris uirilia aperuit, magicum carmen, uel quid simile dixerit, cuius rei gratia castratus effectus sit.

Berosus refellitur.

Non in ueram, sed in apparentem, aut imaginatam brutorum, aut aliarum rerum formam, ac figuram dęmonum deceptione, & non uerborum uirtute (ut quidam putant) mutatos fuisse nonnullos quos legimus. Cap. XII.

Arist. opinio de formarum generatione.

ARistoteles in lib. Diuinorum, naturalium formarum generationem perscrutans, eas à formis simplicibus procreari expreße negat. Sed cùm illarum causam aperire vellet, à formis, quæ in materia sunt, ipsas gigni docet. Quo in loco Auer. etiam materiam ad formam ab intelligentijs, & simplicibus substantijs transmutari non posse ostendit. Cuius quidem rei in Diuinor. xi. idem Arist. rationem reddit, si quidem, bonum Vniuersi est bonum ordinis, nec quidquam reperitur, quod huic ordini non subijciatur. Deus autem à quo omnia emanant, quiq; hunc ordinem suæ diuinæ sapientiæ instituit conformem, extra eiusmodi ordinem est, atque incredibili arte illi præest. Hic ordo ac rerum omnium in mundo dispositio, quamuis in cunctis rebus conspiciatur, in actionibus tamen, & motibus præcipuè lucet. Namque inter agens, & patiens adeo proportio seruatur, ut hæc inferiora à superis causis non moueantur, nisi per intermedia: atque res, quæ per generationem procreantur, non nisi per contractum, & particularem causam, ad super-

Ordo est bonũ Vniuersi.

Inferiora à superis causis non mouentur nisi per intermedia.

narum

narum causarum uirtutem accipiendum idonea sunt. Cùm igitur dæmones, iuxta naturæ ordinem ipsis supremis causis, cælestibus scilicet corporibus superiores sint, quæ quidem cælestia corpora ad nutum rem ab una ad aliam formam mutare nequeunt, clarum relinquitur, quòd sua uirtute dæmones inferiora corpora formaliter transmutare non possunt, alioquin mundi ordo destrueretur. Nonnulla tamen agunt, quæ transmutationi similia uidentur, nec sine actiuorum & passiuorũ cõmistione: nam quædã semina, effectibus, quos moliuntur, proportionata ex diuersis orbis partibus præparare, illisq́; admouere possunt; sicque opera naturæ cõformia agere queunt: nõ secus atque agricolæ, qui tritici grana cum subacta terra miscent: etsi agricolis multò celerius fructũ emittere, & effectũ uidere faciant. tanta. n. celeritate res efficiunt, ut quæ per ipsos fiunt, q̃a humanum captum excedunt, miracula existimentur, idq́; tribus modis fieri potest: Primo, q̃a naturaliũ causarũ uires magis dæmones, quàm homines cognoscunt. Secundo, q̃a uelocius quàm homines eas congregare possunt. Tertio, quia causæ naturales, quæ ut instrumenta à dæmonibus assumuntur, ad maiores, & plures effectus ab eis, quàm ab hominibus extẽdi possunt. Præterea notatu dignum, duplicẽ potestatem, tũ in materia, tum in cunctis rebus inueniri; naturalem unam, obedientiæ alterã. Naturalis potestas nihil aliud esse uidetur, quàm diuina actio, qua Deus à mundi exordio, ex materia certo modo mista, et ab agẽte determinato, per motum in tempore factum, certum, ac determinatum effectum procreari uoluit. Obedientiæ autem potestas illa nũcupatur, qua Dei uolũtati, absq; aliqua

Dæmones formaliter corpora nõ trãsmutãt.

Potestas duplex in cunctis rebus.

Obediẽtiæ potestas q.

determinatione, ac repugnantia, vniuersa, sicut vniuer sorum dominæ, obtemperant. quam quidem obedientiæ potestatem non modò Deus immediatè, & nulla penitus re adhibita exercet, verùm nunc per Sanctos viros, & per bonos Angelos, sæpe etiam per dæmones illam administrat, vt quando aliqua, quæ naturæ vires superant, faciẽda iubet; in quibus tanquam diuinæ virtutis instrumento Deus illis personis vtitur. Quocirca si Loth vxor per malos angelos in salis statuam cõuersa fuit, vt Genes. 10. legitur, & aliqui tenent, non sua vi conuersionem illam, sed veluti ministri diuinæ voluntatis executores dæmones fecerunt. Eodem quoque pacto D. August. in lib. de Trinit. illud Exodi cap. 7. intelligendum putat, vbi Magos suas virgas in serpentes trãsformaße legitur: diuina enim virtute magis aßistente, veros serpentes procreatos eße censet; qua subtracta, nihil amplius potuerunt. Deus namque per falsos prophetas quandoque suos tentare consueuit, vt quàm stabiles, ac firmi sint, appareat. & ni fallor, puto citatam Exodi auctoritatem etiam iuxta communem vulgi opinionem, ac loquendi modum intelligi poße. Nam eadem scriptura Samuelem è morte ad vitam excitatum à Pythonißa dicit: cùm certum, indubitatumq; sit, præter vmbrã Prophetæ effigiem mentientẽ nihil prodijße. Nullus. n. magus, aut dæmon mortuũ verè vnquam excitauit: quanuis aliquãdo spectra mortuorum hominum vitam ementientia dæmones cum magis euocarint. Talis vmbra Sauli apparuit, quæ quidem à Scriptura Samuel vocatur, quia tam Saul quàm Pythonißa Samuelem esse opinabãtur. Ita serpẽtes, & ranæ à magis factæ dici poßunt, cùm harum rerum simulacra

Loth uxor in salis statuam conuersa.

Virgarum magicarũ in serpentes conuersio.

Pythonissæ præstigiæ in excitando Samuele.

mulacra quædam dæmones fingerent, & astantium oculos, vt veras ranas, serpentesque putarent, perstringerent, iuxta illud August. 18. de Ciuit. Dei, Nec sanè Dæmones naturas creant, si aliquid tale faciunt, de quo hæc vertitur quæstio: sed specie tenus, quæ à Deo sunt creata commutant, vt videantur esse quod non sunt. Cuius rei signum esse potest, quia Moysis draconem magorum dracones deuorasse legimus, hoc est, veros serpentes non esse demonstrasse. Sic ranas à Deo effectas in aceruum collectas, in putredinē uersas scimus: quod de magorum ranis non legimus. Sic & aquam à Moyse in sanguinem versam graueolentem, & potui ineptam redactam fuisse narratur: adeo vt pisces in ea interirent: de illa verò, quam magi vertisse perhibentur, nihil simile scriptura refert. Demum sapientiæ C. 17. hæc uerba leguntur: Aderant autem magicæ artis ludibria, et contumeliosa exprobratio eius arrogantiæ, qua ob prudentiam vsi fuerant. Si igitur uera fuissent, quæ illis uera uidebantur, magicæ artis ludibria, et cōtumeliosam exprobrationem auctor nō appellasset. & in hanc sententiam plures ex sacris Doctoribus eunt. Diuus autem Thomas cum quibusdam alijs, magorum ranas per aptam, & idoneam agentium, & patientiū applicationem factas esse censet Sic etiam Aug. Diomedis socios in aues conuersos, per actiua enim cū passiuis aues formatas affirmat. Nihil ergo Dæmones verè efficere queunt, quod per naturæ ordinem ac uiam generari non possit, nisi, ut dictum est, per diuinam uirtutem, idque adscribendum illis non est, sed Deo tantùm. Si uerò aliqua naturæ ordini repugnantia effecisse legitur: quale est illud quod de Vlyssis socijs à Circe

Dæmones naturas nō creant.

Aqua in sāguinem à Moyse cōuersa.

D. Thomas de ranis magicis.

Circes aliorumq; magorū impostura.

magica arte in bestias mutatos narrant; & illud quod de Arcadibus fertur, qui cùm stagnum quoddam trãsnatarent, in lupos mutabantur, & de stabularijs illis mulieribus in iumenta homines uertentibus, hæc, & si quæ sunt his similia, fabulosa esse duco, uel secundum phantasticam apparentiam, & non re ipsa contigisse. Nec uno duntaxat modo, sed innumeris propè uijs id effici potuiße ostendemus. Prima, sensuum uires obnubilando, ne ad rem, quæ sensuum obiectum est, pertingat, in quo sensu August. in lib. LXXXIII. quæst. ait, Dæmon quibusdam nebulis implet omnes meatus intelligentiæ, per quos aperire lumen rationis radius mentis solet. hic fallendi modus dæmonibus adeo est familiaris, ac facilis, ut nobis sæpissimè, nec quid simile cogitantibus idem ultro contingat: quod fit cùm in aliquo pariete, agro, lapide, ligno, uel panno, à longè seu languidè fixis oculis intuemur, in quibus equidem rebus lineamenta, figuras, & imagines uidere uidemur, quæ aliquos nobis notos ad uiuum exprimere uidentur: at si postea propius, & attentius idem respicias, nihil tale reperies. Quòd si sensus, cùm non uiuidi sunt, & multo interuallo distantes ab obiectis, falluntur, atque nobis multorum errorum causa sunt; quantò magis dæmones, qui callidissimi sunt, nos eodem ferè modo decipere, & rem unam, quæ aliam referat, ostendere possunt? Secunda, obiectum ipsum occultando, & eius loco rem aliam ostendendo, & sic pro homine nonnulla nobis obijciunt, quæ bruti formam referant. Tertia, oculorum uim impediendo, ut cuidam ægrè uidenti accidit, cui semper Idolum suum obambulãs ante se præcedere uidere uidebãtur. qđ inde fiebat,

Oculi sæpe falluntur.

quia

quia uisus in ipsum refrangebatur, adeò.n. debilis ac tenuis erat, ut aerem impellere ac diuidere nequiret. Sic Alexandro Aphrodisiensi teste per aerem spissum factum radij emissi pertransire non possunt, sed refranguntur. Extant præstigię seu maleficia Helsingorum, ut Olaus Magnus testis est, quorum princeps Vitolfus fuit, qui quos uoluit, ita uidendi officio spoliauit, ut propinquas ædes, nec prospectu capere, nec certis uestigijs indagare possent, adeò luminum usum nubila quadã caligine obtundere callebat. In eadem deceptionis arte Bothnici Septentrionis homines exercitatissimi erãt, qui per summam ludificãdorum oculorum peritiam, suos, alienosq́; uultus uarijs rerum imaginibus adumbrare callebant, fallacibusq́; formis uarios obscurare conspectus. Quarta, aerem intermedium inter nos & rem, quã nobis occultare uolunt, condensando, illiq́; rei similem reddendo. Quinta, nubem ad alicuius rei similitudinem redactã lineamentis fingendo, quæ res illa nobis uideatur, quam ostendere cupiunt, cum alteratione quoque quadam in nostris sensibus facta. Et hoc duobus modis fieri posse existimo; uel cùm dæmones ex otio in negotium & actionem nos conijciunt; quod tunc fit, cùm rei præsentia, quæ sensu percipi potest, adest: qua uia de non uidentibus, uidentes; & de non audientibus, audiẽtes fimus. Sonos.n. humanis uocibus similes effingere posśũt, in quibus quidvis exprimunt. Nam etsi dentibus, lingua, & pulmone carent, quibus uox formatur; hæc tamen arte facta ostendere possunt, quibus tanquam per quosdam sonos, u[...] cum quandam similitudinem fingunt, & per aerem non respiratum, sed in corpore inclusum, quem percutientes ad aerem externum usque ad

Helsingorũ & Bothnicorum præstigia.

audientium aures articulatè omittunt. Vel cùm de vero iudicio nos dimouere, et in errorem inducere volũt, veluti in præstigiosis aspectibus fieri consueuit, ut cùm à gallo festucam trahẽte, & ab homine baculum manibus tenente, longã trabem oẽs trahi arbitrantur. Vterque modus dæmonibus facilis est: primus quia ad sentiendi actum, rei sensu perceptibilis præsentia requiritur, quæ res vt sensib. offeratur, dæmones præstare possunt, cùm modus eos nõ lateat. Secundus eadẽ facilitate ab ipsis perfici põt: nam ad indebitam dispositionẽ sentiẽdi organum alteratione aliqua afficere valent, & sic à uero iudicio in fallaciam, fraudem, ac deceptionem inducere, perinde ac cùm febricitantiũ palatus malè affectus est, amaras dapes, vinum ac singula iudicat. Nihil namq; dæmones fugit, quominus per indebitam dispositionem alicuius innaturalis humoris immißi, actione circa oculos, aut in alijs sensibus inconsueta & mira nobis nonnulla appareant. Sexta, rerum quarum simulacra in hominum imaginatione recepta sunt, immutationes dęmones faciunt, non secus ac somniorum apparitiones fiũt, quorum in lib. de Som. & Vig. Aristo. causam reddens inquit, Animali dormiente, & ad sentiendi principium plurimo sanguine descendente, impreßiones ex sensibilium motionibus factæ descendunt, & perinde ac si ab ipsis externis rebus phantasia immutaretur, apparitiones fiunt, humorumq; dictorum tanta cõmotio atq; agitatio cum spirituum eleuatione esse põt, vt huiusmodi apparitiones ẽt uigilantibus appareant, idq; quo pacto fieri queat, in phrenesi laborantibus animaduertere possumus. Et ueluti per humorum agitationem hoc usu uenire cõtingit, ita per dæmonum uim cui

Arist. verba de somnijs.

omnis

omnis corporea materia obtemperat, effici posse non dubitamus: & siue hoc siue alio imperceptibili nobis modo, Nabuchodonozor diuino iussu accidisse, vt Dan. 4. legitur, clarum est: nã simul atq; uox de cælo audita est, sic dicens, Fænum quasi bos comedes, demens, furens, ac rabidus effectus, iuxta suę imaginationis potestatem in brutum se mutatum existimauit, & per syluas & arua errans herbas vt bos comedebat. Quo quidem modo dæmonũ arte parato, illud quod Solin. 20. cap. de Neuris populis asserit, intelligẽdum puto: qui populi, deũ Martem numen colunt, & simulacrorum loco ensens uenerantur. Ii æstatis tp̃e in lupos mutantur, deinde fatali hoc tp̃e exacto, in pristinã faciẽ ac formam reuerti sibi uidentur. Sic illud Plinij intelligi põt lib. 8. c. 22. Refert .n. quod Euanthes inter Græciæ auctores non spretus, tradit, Arcades scribere, ex gente Antæi unum hoĩem sorte electum ad stagnum quoddã regionis eius duci, uestituq; in quercu suspenso tranare, & in deserta abire, atq; in lupum mutari, & per annos nouem cum cęteris eiusdem generis animantibus congregari: quo in tp̃e si ab hominum carne abstinuerit, ad idem stagnum reuerti, & cùm tranauerit, pristinam formam, nouem anno rũ senio addito recipere. Quocirca Agriopas qui Olympiacas scripsit, narrat, Demænetum Parrhasium in sacrificio quod Arcades Ioui Lycæo humana ẽt hostia tũ faciebant, immolati pueri exta degustasse, & in lupum conuersum fuisse: eundem decimo anno restitutum in athleticę pugilatu certasse, uictoremq; euasisse. Quibus uerò superstitionib. malefici ad hoc efficiendum uterentur, siue unguentorum ui, siue uerborum prolatione, non clarè habetur, Ouid. tamen de Circe, quæ Picum regem

Nabuchodonosor quo pacto in brutum conuersus.

Plin. de cuiusdã metamorphosi.

Agriopæ historia de Demęneto trãsformato.

in auē sui nominis mutauit, hæc affert, lib. 14. Metamo.

Ouid. de Circe.

Tum bis ad Oceanū, bis se conuertit ad Ortū,
Ter iuuenē baculo tetigit, tria carmina dixit.

Ego quidem quoties hominum artem & agilitatē animaduerto, qui dæmonibus inferiores natura longè sunt, non miror prænarrata à simplicibus illis mentibus fieri. Hisce namq; oculis præstigiatorem quendam me uidisse memini, qui mira manuum celeritate multa faciebat, quibus mortales in non mediocrem admirationem inducebat, & inter alia uini cyathum seruo bibendum præbebat, deinde terebella serui frontem se perforare simulabat, & tota quanta erat terebella in serui caput ingredi uidebatur: postea illā se extrahere simulabat, ac tantum uini ex illius serui fronte in cyathum profluere conspiciebatur, quantum seruus biberat. Quòd si manuū & aliorum membrorum dexteritate, celeriq; actione rem unam pro alia nobis homines demonstrāt; quid de dæmonibus censendum est? quibus ad nutum corporea materia omnis obedit? Septima, ex terra, aqua, uel aere queuis corpora fingūt, & quibuslibet rebus similia reddunt. Atq; aliquo ex dictis modis id fieri potuit, quod illustrißimus dominus meus Cardinalis Granuellanus narrauit. Nā in Burgundiæ Comitatu in oppido Polinico accidisse fertur, quendā uenatorē dum uenandi studio per syluam, saltusq; peragraret, lupum uidisse, quē cùm idem uenator sagitta transfixisset, sanguinis signa fugientis lupi quandam casam ingredientia obseruauit: in quā ingrediēs venator hominem uulneratum cū quadā muliercula inuenit, quę uiri uulneri in eadē corporis parte illato, qua lupus uulneratus fuerat, medebatur. At uenator oppidi Prætorē ꝓtinus adijt: q re intelle-

Præstigiatoris cuiusdā miranda.

Portentum quoddā de homine lupi formam induente.

cta,

cta, hominē illum vulneratū capi iußit, captumq; tormentorū ui uerū fateri coegit: hoc est, se unctione quadam dęmonum arte cōfecta lupi formā induiße. Cuius rei in eodem oppido iuxta fores templi fratrum S. Dominici, monumentum in charta pergamena descriptum hodie extat. Eadem fieri potuit uia, illud quod de Protheo Homerus scribit; quem introducit,

Omnia vertentem sese in miracula rerum,
Ignemq;, horribilemq; ferā, fluuiūq; liquātē.

Prothei mutabilitas.

Et de Acheloo Ouid. lib. 9. Metam.

Inferior virtute meas diuertor ad artes,
Elaborq; viro longum formatus in anguem.

Et de Periclymeno,

Mira Periclymeni mors est, cui posse figuras,
Neptunus dederat.

Et de Protheo ac Metra Erisichthonis filia,

Nunc aqua, nunc ales, modò bos, modò ceruus abibat.

Nec quisquam dęmonum, quia maris aut fœminę figuram sumit, sua natura mas aut fœmina uerè est. Huiusmodi enim paßiones, non simplices sed compositas substantias consequuntur. Corpora quoque in quę mutantur, flexu facilia sunt, ad omnem configurationem idonea; & sic modò tanquam uir apparent, modò ut fœmina, nonnunquam leonis more fremunt, saltant ut caprea, ut canes latrant, ac denique quarumlibet rerum, & animalium imaginem suo arbitratu facillimè induere omnes poßunt. Et hinc est, Olao teste, ut Hagberta Vagusti gigantis filia, insolito suę proceritatis aspectu, nunc contractioris, nunc exilis, nunc defluentis substantię, modò corrugata, modò explicati corporis

De corporibus à dæmonib. assumptis.

Olai histor. de Hagberta.

situm

situm arbitraria mutatione träsformare solita sit: atq; nunc proceritate cęlis inuecta, nunc in hominem angustioris habitus, composita cęlum deponere, terram suspendere, fontes duros reddere, montes diluere, naues sublimes tollere, sidera è cælis deripere posse crederetur. Præterea si illusiones quas dæmones D. Antonio fecerunt, in memoriam adducemus, de illorũ deceptione ac fraude mirari desinemus. Athanasius namq; Alexandrinus Episcopus de S. Antonio refert, Quòd dæmones aliquando ut draco teterrimus, ut puer horridus & niger illi apparebant: sæpè serpentium formas induentes, omnem protinus locum repleuere phantasiis leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentium, scorpionum, necnon & pardorũ atq; vrsorum: quæ singula secundum suam naturam fremebant, multaq; contra D. Antonium minantes suis dentibus fremebant, quod nullus eorũ tentationes sequeretur effectus, quinimò ipsi frustrati ac ludificati eßent. Illæ uerò quas Poetæ in suis fabulis inserũt, ut de Saturno in equũ, Tereo in vpupam, Philomela in lusciniam, Io in iuuẽcam, Daphne in laurum, Cyparisso in cupressum, Clytia in heliotropium, Arethusa in fontem, Batto in lapidem indicem, ac reliquæ, quarum narratio apud Ouid. præcipuè fit, esse possunt, vt Laberius de Pythagorica metamorphosi scribit, sicut in Nonianis libris inuenimus:

Athanasij verba de illusionibus D. Antonij

Metamorphoses fabulosæ.

Et audio mala multa etiam ex bonis
Par illud, vt nos olim mutant Philosophi,
Et nũc de mulo hominẽ, de muliere Colubrũ
Faciant, & ex diuersis, diuersa alia.

Aut ut Plotinus de animi metamorphosi sentit, qui sic ait: Quicunq; humanã proprietatem seruarunt, iterum

Plotini verba de animi metamorphosi

rum

rum & ipsi homines renascũtur. Qui autem ad sensum defecerunt, bruta quidem ac stolida animantia redeũt, sed ita tamen, ut qui & iram adiecerint, fera existãt, et pro ipsa inter se differentia dissentiant: qui in libidine, & in uoluptatibus uitam egerint, salacia uoluptuaria animalia reuertantur. Quòd si nec sensu ipso, nec sensus parte vsi fuerint, hi utiq; omnes plantæ resurgunt, quoniam in his uel animus tantùm uegetalis fuerit, neque aliud egerint, quàm vt in plantas verterentur. Qui autem musicis modulis affecti ac deliniti vixerunt, si in cæteris non degenerarunt, animalia musica renascuntur: qui sine ratione ciuitates & imperia rexerũt, aquilæ fiunt, nisi alia prauitate sint infecti. Qui absq; sapientia sublimia improbius tractarunt, cęlumq; inspexerunt, in alites euaserunt. Qui uirtutem ciuilem assequutus est, homo reuersus dicitur; qui eã minimè adeptus est, in ciuile aliquod animal transformatus simulatur. Sed egerint, ac simulauerint Philosophi illi huiusmodi metamorphoses, qua intentione ipsis collibuit, clarum est ꝙ nisi meræ nugæ ac fabulæ sunt, uel ob animi sensus celandos, & aliqua mysteria tegenda inuentæ fuerunt: veluti in Aegyptijs eadẽ de causa literas Hieroglyphicas excogitasse perhibent. Clemens namque Alexandrinus refert, Aegyptios non quibuslibet mysteria commisisse, nec rerum diuinarum cognitionẽ ad prophanos deferre solitos. Extat Lysidis Pythagorei epistola, in qua Hipparchum reprehendit, ꝙ publicè cõtrà ac magister instituit, philosopharetur. Nec enim fas esse ea omnibus porrigere, quæ paucis & ijs quidẽ disertis communicanda sunt. Nec à Lyside duntaxat, Hipparchus reprehensus est, sed etiam accusatus à di-

Aegyptiorum mysteria.

Hipparchꝰ reprehẽsus quòd mysteria vulgarit.

scipulis

scipulis alijs, & expulsus schola, & propter ipsum, tanquam propter mortuum facta columna est. Plato etiã Dionysio de quibusdam sacris mysterijs scribens, monet ut epistolam è uestigio decerpat, ne in indigni uulgi manus perueniat. Tantæ olim priscis illis philosophis curæ fuit, disciplinarum mysteria à contemptu & prophano abusu defendere. Sicut Cęsar quoque de bello Gallico, lib. 6. de Druidarum institutis dicit: & ex plerisque Hebræorum doctorum, ac ex nostris Hilario & Origene idem colligitur. At si ob animi intentiones celandas, huiuscemodi transmutationes inuestigatæ non sunt, sed dæmonum arte procuratę, asserendum est, ut D. Aug. 18. de Ciu. Dei inquit, ꝙ transmutationes hominum in animalia bruta, quę dicuntur arte dęmonum factę, non fuerunt secundum ueritatem, sed solùm secũdum apparentiam, ut enucleauimus: & in Anquirensi concilio his uerbis sancitum est; Quisquis credit posse fieri, aliquam creaturam aut in melius aut deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, uel in aliam similitudinem, nisi ab ipso Creatore qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, proculdubio infidelis est, & pagano deterior. Quòd autem per uerborum uires fieri nequiuerint, probatione non indigere existimo. Satis enim superq; à nobis demonstratum est, uerba nihil amplius efficere posse, quàm ea prę se ferre, ad quę exprimenda ac significãda instituta fuerũt. Minimeq; ob aerem à corde respiratum, nec ex spe & persuasionẽ aut ex uerborum commistione, ex siderum uirtute, ex hominum genituris, uel ex animi potestate aliam uim quàm animum exprimendi, uerba habere poßunt, ut suo loco lætissimè diximus.

Platonis religio in celandis mysterijs.

Anquirensis concilij sanctio cõtra credentes creaturã transformari posse.

Corpora

Corpora de loco ad locum mira celeritate dęmonum, & non uerborum ui, tranferri possunt. Cap. XIII.

PRæcipua huius mundi pulchritudo in ordine ac sua dispositione cernitur, in qua mira Dei sapiētia manifestatur, quæ à mundi exordio, ut D. August. in 2. de Trinit. ait, Corpora omnia simplicibus substantijs obedire iussit, quò per huiusmodi abstractas mentes, motibus intermedijs uniuersa corpora gubernarentur. Et quamuis per alios motus, aliquid quod rei intimum sit, uarietur: ut quantitas, qualitas, forma substantialis, puta per motum qui est admixti formam, & per eum qui generationem efficit, & alios; nihilominus per localem motum corpora secundum aliquid externum duntaxat mutantur, qui quidem localis motus, immediatius, ut ita dicam, alijs motibus mouet: alij namque motus non nisi hoc locali intermedio à simplici substantia oriuntur. At inter hos motus maxima differentia est; si quidem mutatio per motum localem à substantia simplici immediatè fieri potest, quasi ab externo, & remoto agente; quod de alijs motibus dici non potest. Cuius rei eiusmodi ratio reddi potest. Nam uariatio per motum localem, etsi ratione mobilis perfectißima sit, ut Arist. 8. de Physico auditu probat, respectu tamen sui debilis actio censetur, quæ à remoto quoque agente fieri potest. Cuius quidem imperfectæ ac debilis mutationis ex imperfectiorū & è putri materia nascentiū animalium ortu exemplum afferre possumus, quæ animalia imperfecta, per solam cælestiū corporū virtutē, ut à sua causa externa, & remota absque

Ordo huius mundi pars præcipua.

Motuū differentia & variatio.

Animaliū imperfectorum ortus.

semine

semine oriuntur, & procreātur. verùm præstantiores, & nobiliores effectus causam proximam postulant, vt sunt cæterorum motuum actiones, & præcipuè perfectorum animantium ortus. Cùm ergo substantiæ simplices, quæ corpora cœlestia mouent, sua natura ipsis cœlestibus corporibus præstantiores, ac digniores sint, necnon Dęmones communem, & eandem naturam cum illis simplicibus mentibus, quos Angelos appellamus, habeant; apertum, & manifestum relinquitur, dęmonibus, quantùm ad motum localem vniuersa corpora obedire; idque ea ratione fieri censeo; nam dęmonum actio per virtutis contactum fit: qui contactus per applicationē cognitionis rei agendæ, & ipsius actionis, atque per efficacem agendi voluntatem perficitur, vt quando dęmon de loco ad locum corpus aliquod transferre vult; vehemēti desiderio considerat locum à quo, & ad quē, & etiā corpus transferendum, et actionem, quā efficaci voluntate comprehendēs perficere cupit: & illico actio absoluitur, corpusq; dæmonis volūtati, nisi Deus secus iubeat, obtemperat. Quam sententiam per rationem à D. Aug. 3. de Trinit. sumptam corroborare possumus, qa idē est motus totius & partis, ut Arist. 3. de Physico auditu fatetur; sed dęmones ex diuersis mundi partibus quædam semina colligunt, & trāsferunt, quæ ad certos, & determinatos effectus perficiendos adhibent: igitur huiuscemodi effectus, qui vel corpora, uel corporis partes sunt, ab uno ad alium locum portare poßunt. Et quoniam hac de re, maxima inter Doctores controuersia est: nonnulli enim ex legum peritis id à dæmonibus præstari poße negant: inter quos Ioannes Franciscus Ponzinibius, & plures

Dęmonibus quoad motum localem omnia corpora obediūt.

Motus totius parti, idem est.

alij,

alij, qui maleficarum imaginationem à dæmonibos moueri & agitari putant, non quidem nouam formam in organa imprimendo, sed formas in sensuum organis receptas localiter, ad vim apprehensiuam transmutando, vt inde tales apparitiones ac visa in somnis fiāt, quales ab illis desiderantur, & à dæmonibus inferuntur. Theologiæ professores in contrariam abeunt sententiam, non modò hominum, sed quarumlibet rerum corpora, ad quam remotissima loca, breui temporis spatio à dęmonibus ferri posse defendentes: hac de causa; vt huius perplexæ dubitationis ueritas habeatur, & nulla prorsus dubitandi ansa posthac relinquatur, duorum temporum discrimine dęmones cum maleficis considero: Primò respectu potestatis, qua ante Iesus Christi Saluatoris nostri aduentum fungebantur, & tunc clarum est, quòd non tantùm corpora transferre, uerùm multò maiora efficere poterant, & quo sibi diuinum cultum vsurparent, hominesque ita deceptos tenerent, humanum sanguinem sibi immolari faciebāt. Dionysius enim Halicarnaßeus in primo Antiquitatū refert, Iouem, & Apollinem, quoniam decima hominum pars non fuißet sibi immolata, magnas Italis calamitates induxiße, usque adeo ut nulli fructus ad maturitatem usque permanerent, sed immaturi defluerent: fontiū alij bibi non poßent, alij deficerent: mulieres abortū facerent: homines & pecora uarijs morbis passim interirēt, donec decima reddita esset. Diodorus quoq; testis est, Carthaginenses Saturno humanas hostias immolari solitos. Quos quidē dæmones, lemures, faunos, satyros, laruas, manes, penates, nymphas, semideos, musas, & multis alijs nominibus antiquitas appellabat.

Ponzinibij de Dęmonum potestate sentētia.

Dęmonum potestas dupliciter cōsideratur.

Halicarnasseus de sacris Ioui & Apollini præstitis.

Dęmonum nomina varia.

pellabat. Tantaq; hominũ cũ dæmonibus erat familiaritas, ut binos unicuiq; deputatos arbitrarẽtur; quos genios appellabãt, à quibus bona & mala contingere ipsis putabant, & quandoq; nec consultãtibus, nec cogitantibus hominibus, sed ex improuiso multa secunda & aduersa ab ipsis genijs, ijs nuntiata fuiße creditum est.

Bonus & malus genius.

Quod quidem Marco Bruto Platonis asseclarũ studioso, ipsiusque sectatori Plutarchus euenisse narrat, aßerens, quòd Brutus cùm ex Asia traiecturus eßet exercitũ, noctis conticinio, luna nõ admodum lucente, totus exercitus silentio tenebatur, ipse uerò animo quiddam reuoluens, uisus est quempiam ingredientem audire; respiciensq; ad ianuam spectrũ cernit immane, & prodigiosum, uasti & horrendi corporis ad se accedere, sibiq; tacitum assistere. Quod protinus rogare cœpit, Quisnam (inquiens) aut hominum, aut Deorũ es? aut qua de causa ad nos uenisti? Ad hæc spectrum, Tuus sum, inquit, Brute malus Geuius, in Philippis me uidebis: quæ uerba rei euentus comprobauit; nam cùm Brutus in Philippis eßet, antequã eius exercitus à C. Octauio uinceretur; & ipse sibi, ne uiuus in hostium manus ueniret, mortem cõscisceret; rursus ei Genius apparuit.

Plutarchi historia de Bruti visione.

Idẽ de Dione Platonis discipulo, ac familiarißimo Plutarchus refert: si quidem dum Syracusis cõiuratio contra Dionem pararetur, & ipse uesperi cogitabundus in porticu domi sederet, ibi strepitu repentè facto, respiciens clara adhuc luce, in alteram porticus partẽ, quandam mulierem, cultu & facie nihil à tragica abhorrentem furia cõspexit, quæ scopis domum uerrebat; & eadem nocte, eius filius ferè adultus ob nescio quem animi dolorem, & iram leui de causa susceptam, è fastigio

Dionis visio ex Plut.

domus

domus se præcipitem dedit, et interijt. Paucis pòst diebus Diō ipse à cōiuratis interfectus est. Simile spectrū per quietem specie toruæ mulieris à Caramando Regulo uisum est, cùm Maßiliam urbem obsideret, à quo exterritus, ut Iustinus Historicus lib. 33. ait, ultrò pacē cum Massiliens. fecit. qui Caramandus urbem ingressus cùm in arcem Mineruæ venißet, conspecto in porticibus simulacro Deæ, quam per quietem uiderat, repētè exclamauit, illam esse, quæ se nocte exterruißet, illam quæ recedere ab obsidione iussißet. Quid dicam de Socrate, circa quem, ut Lactantius affirmat, assiduè dæmō loquebatur? Idem Apuleius confirmat, q hac de causa librum cōposuit, quem de Deo Socratis, inscripsit. Idē in lib. de morte Socratis Xenophon refert, qui eum sic loquētem, ab Atheniens. condemnatum inducit: Enim uero iam bis mihi defensionem paranti dæmō aduersatur. Quocirca per Genium iurare maximum apud ueteres iuramentū extitit. Et à Caligula multi supplicio affecti leguntur, qui per suum Genium peierauerant. Illo inquam tempore, quia dæmones totum mundum deceptum habebant, laxasq; potestatis habenas eis Deus reliquerat, nō secus atq; equi alati, homines ad longissima loca per aerē portasse legūtur, ut de Pasete; Exagono Oblogenum legato, Circe, Medea, Canidia, Tyridate, Apuscoro, Tarato, Marmaridio, Hippoco, Arnuphi AEgyptio, et innumeris alijs scriptū inuenimus, q veluti uolucres dæmonū ope aduolasse perhibentur. Secūdò post Saluatoris nostri aduentū dæmonū potestas considerāda est, quæ hoc tēpore multò minor fuit, quia post eius aduentum, uetustatis tenebræ ceciderūt. Nā dū in AEgypto cum Ioseph, & matre fuit, eo tēporis

Caramādi Reguli uisio.

Socratis Genius.

Iuramētū per Geniū apud ueteres solenne.

A Dæmonibus pæra uecti.

Christo aduētu uetustatis tenebræ ceciderunt.

spatio simulacra Deorũ, quos gens stulta, et omniũ errorum mater coluit, sua sponte cecidisse dicuntur. Quod Porphyrius (uti Eusebius dicit) Christiani nominis hostis, in libro, quem aduersus religionem nostram scripsit, hoc modo testatur. Nunc uerò mirantur, inquit, si tã multa peste Ciuitas uexatur, cũ et AEsculapius, & alij dij lõgè absint ab ea. Postea enim quàm Iesus colitur, nihil utilitatis à dijs consequi possumus. Dæmones namque ante Christi cruciatum, duplicem manum habere dicebantur, attrahentem unam, impellentem alteram. Manus attrahẽs, uiros Deo charos ad limbum trahendi potestas erat: Impellens autem erat facultas, q̃ homines per innumeros fallendi modos præcipites dabat, & inter alios ille præcipuè uigebat, quo dæmones diuinum cultum sibi usurpabant: quod ut assequerentur, hominibus sibi iuramento, aut alio fœdere, ac lege deuinctis, ad nutum omnia concedebant. Quæ uerò aut suas uires excedebant, aut Deus agere non sinebat, in ijs homines illusionibus fallebant, ut illi id se aßecutos esse putarent, quod dæmones spoponderant, aut mortales concupiuerant. Et ideo de Medæa apud Ouid. in Epistolis sic legitur.

Porphyrij testimoniũ de Idolorũ casu.

Ante Christum passũ Dæmones duplicem manũ habebant.

Illa reluctantem, cursu deducere lunam
  Nititur, & tenebris addere solis equos.
Illa refrenat aquas: obliquaque flumina sistit.
  Illa loco syluas, uiuaque saxa mouet.

Primæ manui ob fortitudinẽ qua prædita erat, nemo resistere poterat. & hæc à Domino nostro penitus amputata fuit, quia per eius cruciatum Adæ peccatũ deletum est, cælorumque portæ patefactæ sunt, et ille locus qui limb⁹ dicebatur, destructus est. Et ideo Apocalyp.

Adæ peccatũ per Christi patibulũ deletũ est.

20. cap.

20 cap. D. Ioannes ait, *Vidi Angelum, id est Christũ, descẽdẽtem de Cælo, habentem clauẽ abyßi, & cathenam magnã in manu sua; & apprehẽdit draconem serpentem antiquũ, qui est diabolus, & ligauit eũ.* Et Saluator noster apud Ioannẽ c. 12. inquit, *Nũc Princeps huius mundi eijcietur foras.* Manum uerò impellẽtem ita strenuã habebat, ut ei quisquã uix resistere poßet & hęc à Domino nostro non penitus sublata est, cũ sic expedierit, uerũ eneruata, ac debilitata fuit. et propter ea dæmonũ potestas, post Christi cruciatũ, quantũ ad homines per aerem ferendos, duobus modis considerari potest: Primo cùm improborũ confusio, Dei gloria, Ecclesiæ utilitas augetur, ac fides in fideliũ animis largiores radices mittit, & sic homines, tum à bonis, tum à malis Angelis ꝑ aerem sublatos esse legimus; & nũc si Christi fidelium hominũ utilitati conduceret, ferrentur. Quãtùm uerò ad malos Angelos spectat, ex D. Maximo Episcopo Taurinense, ex Hieronymo, Arnobio, Damaso & ex sancto Lino Simonẽ Magnum, per aerẽ sublatum habemus, his uerbis: *Cùm Simon Magus se Christũ diceret, & tanquã filium ad patrem aßereret uolando posse conscendere: atq; elatus subitò magicis artibus uolare cœpisset; tum sanctus Petrus fixis genibus precatus est Dominum; & precatione sancta uicit magicã leuitatẽ. Tunc igitur Petrus uelut uinctũ illũ de sublimi aere deposuit: et quodam præcipitio in saxo elidens, eius crura confregit: & hoc in opprobrio facti illius, ut qui paulo antè, uolare tentauerat, subitò ambulare non posset, & qui pennas aßumpserat, plantas amitteret.* Sed ne fortè hoc mirum uideatur, quòd Magus ille pręsente Apostolo per aerẽ aliquãdo uolitauerit,

Ad improborum cõfusionem corpora ꝑ aerem sublata sunt.

Simonis Magi per aerem sublatio.

rit, hoc patientia Petri fecit. Permisit enim illũ in sublime ascendere, vt ex altiori loco euerteretur. Voluit cũ in excelsum leuari ad conspectũ omniũ, vt ruentem illum de excelso, oculi omnium peruiderent. Ecce quomodo ex uolatu huius perfidi malefici à dæmone euecti illius confusio, opprobrium, & pœna secuta est, Dei verò gloria in Sanctis viris manifestata est. ex quo fides in animis credentium corroborata est, in cæteris verò adhuc infidelibus altas radices egit, cũ magna fidelium hominum lætitia, uidentium q̃ ab ipsis crederẽtur, miraculis confirmari. Huic exemplo non admodũ dissimile est illud, qđ Vinc. in speculo histor. lib. 25. C. 26. asserit, Anglicanam scilicet fœminam arte magica illusam à dæmonibus post dira tormenta ad aera cum clamoribus horrendis fuisse raptam. Prætermitto recentiora multorum maleficorum lemurum & strigum exempla, quæ tum à Paulo Grillando, tum ab alijs afferuntur. qui omnes à dæmonibus per aerem uiros ac fœminas in longissimas partes translatas sibi constare fatentur. Illud autem, quod Olaus Magnus refert, non prætermittam. Oddo Danicus, inquit, pirata maximus, adeò magica arte doctus extitit, vt absque carina altum pererrans, hostilia sæpe nauigia, cõcitatis carmine procellis euerteret. Idẽ de Othino maiore atq; seniore inter magos refert, qui Hadirigũ quendã Daniæ Regẽ magicis præstigijs turpiter illusum, atque lõgius à suis familiaribus auulsum, cum equo per vasta maris spatia ad propria reduxit. Sic de Hollero mago affirmat: qui adeo in magica arte clarus euasit, ut ad traijciẽda maria osse, qđ diris carminibus obsignasset, nauigij loco uteretur, nec segnius eo, quàm celerrimo uelorum

Vincentij histo. de Anglica fœmina à Dæmon. translata.

Oddo Danicus insignis pirata & magus.

Othini illusio.

Holleri magica ars.

rum uentorumq; usu proiecta aquarum obstacula superaret. Quinimò & Christus ipse à dæmone à quo tentatus fuit, se supra templi fastigium, ac sublimem montem portādum permisit, ut D. Gregor. in Matth. 4. cap. inquit. De sanctis quoq; quibusdam uiris legitur, quod ipsi per dæmones, ueluti per alatos equos, diuini oraculi lumine afflati, à longissimis orbis partibus sese ferendos curarunt, sicut de S. Antidio Archiepiscopo Bisuntino scriptum inuenimus, qui non multarum horarum spatio à dæmone, quasi per mulum alatum ac uolucrem, Spiritus sancti iussu se Romam deferendum mandauit. Quod uerò cùm sic expediat, etiam per bonos Angelos corpora per aerem sublata legantur, de beatæ uirginis Domini nostri Iesu Christi æde exemplum manifestum habemus, quam à Nazareth usque ad Illyricū, & illinc usque ad cuiusdam mulieris nemus quæ Loreta appellabatur, transtulerunt. Quid? quod postquàm Eunuchus Reginæ Aethiopum à Philippo Apostolo salutarē baptismum accepit, Angelus Domini rapuit Philippum, atq; in Azotum transtulit? Validissimo quoq; suo impetu; Angelus diuinum Prophetarū Ezechielē assumpsit, ut Ezechiel ipse fatetur: Et aspexi, inquit, & ecce similitudo uiri à labijs suis, & inferius ignis, & à labijs eius & superius tanquā uisio electri: & accepit me à uertice in spiritu suo in medio cœli & terræ, & deduxit me in Ierusalē. Idē de Abacuc Propheta legimus, quē Angelus sui spiritus impetu à Iudæa in Babylonē cū alimento portauit, ipsumq; in lacum leonū, non solutis illinc signaculis, intulit, & Domini seruus Daniel comedit: rursusque idē Angelus nulla interposita mora, in locum suum Abacuch restituit, nihil ei impedimēti

Christi in montē euectio.

Mariæ uirginis ædis translatio.

Philippi Apostoli in Azotum translatio. Ezechielis mira translatio.

Abacuch translatio.

afferens quominus eadem hora rediret, eodemque cibo messores suos copiosè aleret. Prætermitto cælestia illa, lucidaq; ac perspicua corpora, quæ cùm vastißimæ molis sint, agitatione tamē adeò rapida feruntur, ut uiginti quatuor horarum spatio virtute Angelorū quotidie orbem suum cōficiant, quos quidem angelos Arist. per naturæ lumen simplices mentes orbibus aßistentes appellauit. Quòd ni huiusmodi vtilitas cum improborum hominum infamia ac pœna, ex maleficorum per aerem volatu subsequatur, nullo pacto dæmones id attentaturos affirmare auderem: cùm Deus Opt. Max. nunc dæmones suo arbitratu quidquid velint, agere non patiatur: sed potius crederem, vnguentorum vi, dæmonum arte factorum, maleficos oblinitos, aut per alia signa & verba ludificatos vehementi somno consopiri, in quo per dæmones simulacris, imaginibus, ac phantasmatibus subministratis, & accommodatis ea re ipsa agere putant, quæ vigilantibus in animo erant. Et hanc nostram sententiam Ancyranum concilium confirmauit, in quo hæc verba per decem & octo Episcopos sancita reperiuntur; quòd scelerataæ quædam mulieres dæmonum illusionibus seductæ nocturnis horis cum Diana Paganorum dea, & innumera multitudine mulierum credūt se equitare super quasdam bestias, & multa terrarum spatia pertransire: quæ falsa opinione deceptæ, hæc uera esse credunt, & credendo à recta fide deuiāt: ideò sacerdotes per Ecclesias sibi commissas populo prædicare debent, hæc omnino esse falsa, & à maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari. Siquidem Satanas trāsfigurat se in Angelum lucis, & cùm mentem cuiusque mulierculæ cæperit, & hanc sibi

Corporum cælestium celerrimus cursus.

Dæmonū illusio qua corpora trāsferri ꝑsuadent.

Ancyrani cōcilij sanctio cōtra credentes corporum translationem.

sibi per infidelitatem subiugauerit, illicò transformat se in diuersarum personarum species, atque similitudines, & mentem quam captiuam tenet, in somnis deludens, modò læta, modò tristia, modò cognitas, modò incognitas personas ostendens, per deuia quæque deducit. Valdè itaque familiare, & consuetum dæmonibus est, vt ea quæ in vigilia mortales cupiunt, in somnis ipsis obijciant, & ita clarè atque apertè, vt sese non dormire, sed vigilare opinentur. Quod quidem malum per totum orbem terrarum repsit, & vsque ad Occidētales Indias peruenit. Idque ex Monardo medico Hispalensi scriptum inuenimus, qui in tractatu secundæ partis, in qua de rebus agit, quæ ex Occidentalibus Indijs ad nos transportantur, cuiusdam herbę uim recensens, quam Thabacum vocant, nos uerò herbam sanctæ Crucis appellamus, sic ait, Cùm inter Indos de re aliqua graui, & maximi momenti ageretur, de qua Magnatibus & Principibus consulto opus erat, ad sacerdotem ibant, cui rem exponebant: sacerdos autem in eorum conspectu statim frondem, aut surculum illius herbæ capiebat, qua prunis imposita, per os & nares cannulo quodam fumum attrahebat: quo facto extemplò vt mortuus in terram sacerdos cadebat: deinde fumi operatione consumpta (cuius gratia in somnijs uarias illusiones & simulacra viderat) pro vt dæmones illi suggesserant, ambiguas responsiones dabat, vt quidquid ex re accideret, illud fuisse dicerent, quod à sacerdote prædictum erat, & sic populos dæmones deceptos tenebant: idque etiam animi causa alij Indi factitabant, quia magnopere phantasmatibus, figuris & imaginibus in somnis delectabantur, quod de herba Solano

Monardi historia de Indorū superstitione.

S. Crucis herbæ vis.

furioso dicta scriptores etiam tradunt. Plin. quoq; lib. 24. c. 17. Aglaophotin herbam memorat, quæ hominum admiratione propter eximium colorem nomẽ accepit: quam in marmoribus nasci Arabiæ Persico latere, & ea de causa Mamaritin quoque uocari, Magosq; ea uti, cùm deos euocari velint. Ibidem Archemeniden colore electri, sine folio nasci in Tardactilis Indiæ inquit: cuius radix in pastillos digesta, deinde uino propinata noxijs, ab ipsis confeßionem criminum perpetratorum in somnis, magis quàm quilibet alius cruciatus extorquet. Clarum igitur est, quòd nonnullis medicaminibus, dæmones maleficis ac strigibus somno cõsopitis, apparere faciunt, quidquid uigilãtes desiderãt, nihilq; uerba ad illos per aerẽ ferẽdos facere poßũt, sed tantũmodò signa esse quibus dæmones ad id præstandũ inuocantur: cùm ad significandũ tantùm, & non ad aliquid efficiendum uerba inuenta sint, ut sæpius diximus.

Aglaophotis herbæ vis.

Archemenidis vis.

Cæli obseruatione, fascinare nemo potest. Cap. XIIII.

Cælum ac sidera corporum omnium natura constantium commune esse principium, nemo est qui ambigat: & quoniam corpori, quod à naturæ principijs originem trahit, duo inesse videmus; motum scilicet, & qualitatem quandam sensu perceptibilem, quam lucem appellamus: hinc fit, ut cælo omnium corporum primo, ac præstantißimo, omnium motuum perfectissimus, omniumque qualitatum nobilißima lux adscribatur. Siquidem id quod primum in unoquoque genere reperitur, reliquorum

Cælũ corporum omnium principium.

Cælũ omnium corporum præstãtissimũ.

quę sub eodem genere collocantur, causam eße Aristoteles asserit. Quo fit ut quod primo motu mouetur, cætera moueat, atque eo quiescente, cuncta quiescant: ueluti in homine, qui paruus mundus dicitur, accidere uidemus, in quo si cordis motus desistat, cæteras hominis partes quiescere & interire oportet. Qua ratione Philosophus adductus, primi cæli motum in lib. de Physico auditu, uitā omnibus esse affirmare ausus est. Plato etiā in Timæo uitam nobis corpoream à stellis infundi aßeruit: lux enim cælestis uitali quadam ui prædita est, non quòd aut ipsa uiuat, aut uitam conferat, sed corpora uitæ capacia ad uitam disponat. Namque lucem calor concomitatur, qui mira quadam efficacitate omnia penetrat, omnia fouet ac moderatur. Quòd autem in hæc inferiora, luce & motu cælū agat, Auerroes in 2. de Ortu, hisce uerbis declarat. Propter diuersitatē causæ agentis in ultimo, fit diuersitas rerum hic: & diuersitas operationis Solis, propter congregationē & segregationem planetarum cum eo. Et Arist. in 2. Cæli, causam reddente, quare corpus cæleste pluribus motibus moueatur, inquit Auerroes: Vult hic loqui de causa finali, qua cęlum habet plures motus, & vult dare causam ex eis quæ hic apparent. Apparet enim quòd proportio eorum quę sunt hic ad corpora cælestia, est sicut proportio facti ad faciens. Id uerò quod factum est, respectu actionum facientis finis rationem habet, ut sunt ea quę in hoc inferiori mundo fiunt. Idem Aristoteles in 12. Diuinorum corroborat. Vbi Auerroes com. 44. ita inquit, Dispositio in iuuamento corporum cælestium adinuicem in creādo etiam quæ sunt hic, & conseruando ea, est sicut dispositio bonorum Regentium,

Primi cæli motus omnibus uita est.

Cælum luce & motu in hæc inferiora agit.

qui

qui iuuant se adinuicem in regendo bonam ciuitatem, idem Arist. in lib. de Propriet. elem. & de Mundo, repetit. Demùm lib. 1. Meteo. sic ait, Oportet hunc mundum inferiorē superioribus nationibus esse contiguum, vt omnis uirtus eius īde gubernetur. Qua de re loquēs Aug. in 3. de Trin. ita sentit, Deus regit inferiora corpora per superiora Ex p̄tactis igitur clarū ac manifestū esse cōstat, cælū ac sidera in hæc inferiora corpora motu ac lumine cōcomitato calore agere, quę quidē actio, regimen & gubernatio appellatur, Dei uolūtate sic imperante atq; ordinante, ut scilicet suæ diuinæ uirtutis cælum esset uniuersale instrumentū. Ex quibus falsum esse cōuincitur, quod in 6. cap. lib. 1. ad superstitiosorū mentem dicebamus, hominis affectus unicuiq; planetæ adscribendo, ut libidinem Veneri, tristitiā Saturno, & sic de reliquis. Nec Zodiaci signa particularibus humanorū corporū partibus dominari queunt, ut Aries capiti, Taurus collo, & ita de singulis, ac successiuè per cælum ac planetas fascinum iaculari non posse asserendū est. Quoniam multis in locis Arist fatetur, tum mētes mouētes, tum cælestia corpora mota, ac influxus ab eis descendentes eorū effectuū qui hic fiunt, nō particulares, sed cōes causas eße; illamq; uirtutem, quā Aries & Sol capiti instillare dicitur, nō potest nō singulis corporis mēbris, & omnibus denique rebus cōmunicare: id enim communis causæ munus est; ut æqua ratione ad omnia se diffundat. Et licet cælestium corporum motus & configurationes hominem ad aliqua propensiorem & inclinatiorem reddere poßint, nō tamen ad turpitudinem, ac prauas & diabolicas actiones, sed ad uirtutes, sanctißimos mores, ac sanctißima tantùm desi-

Deus regit inferiora corpora p superiora.

Cælum diuinæ uirtutis uniuersale instrumentum.

Zodiaci signa particularibus corporis membris dominantur.

Cæli configurationes ad aliqua, non tamē ad turpitudines propensos homines reddunt.

deria nos propensos, inclinatosq́; cælestes uirtutes, & cælestium luminum in nos descẽdentes influxus faciũt, tantum abest, vt ab eisdem ad malum, & ad uitium aliquod, ad noxias, uanasq́; & perniciosas cupiditates, homines sollicitentur & adigantur, ac tandem per eosdem fascinum procuretur. Quid enim mali ab illis præclarißimis naturæ, & Dei Opt. Max. corporibus? quid inquã, damni ab ipso uniuersæ naturæ auctore, per hæc augustißima corpora? siue per suos, tanto tamq́; admirabili ordine digestißimos, regulatissimosq́; motus, siue per sua fulgẽtißima, saluberrimaq́; ac uitæ mortaliũ omnium accõmodatißima lumina? quid, inquã, damni, quid exitij, quid cõtumeliæ nobis per Solẽ & Lunã, per errantia, aut fixa, fulgentißimaq́; sidera contingere vnquã potest? Firmamentũ, dicebat Arist. in 8. de Phys. aud. est cor uniuersi orbis. In 12 diuinor. Omnium quæ cernuntur firmamentum est maximè diuinum. In ii. 1. de Cælo, Cælum est locus & habitatio deorum. Si igitur firmamentum est orbis uniuersi præstantißima pars, si cor est, si quid diuinũ, si deorũ habitatio; nonne quemadmodum cor in animali fons illius uirtutis est, qua animalis integritas, ordo, & misturæ nexus seruatur, morborumq́; inuadentiũ iniuria propulsatur, ita existimãdũ erit, firmamentũ hoc & cælestia corpora, ac stellas, quæ in ipsis cælestibus corporibus sunt, eorum quæ intra ipsius cæli amplitudinẽ continentur, integritatem conseruare: propulsare autẽ ea, quæ orbis totius integritati, & eius partiũ, hoc est rerũ in ipso cõtentarũ incolumitati aduersantur? Quòd si secus fieret, nec quid diuinũ, nec deorũ habitationẽ, nec cor cęlestibus corporib. Philosophi adscripsißẽt. At si cęlestia corpora hæc inferiora,

Cęlum cor vniuersi orbis, ex Aristot.

Cælũ Dei habitatio.

feriora, ut Arist. loquentē citauimus, gubernāt; atque gubernare idem est, ac dirigere, statuere & ordinare; qui fieri potest, ut inficere, uitiare, euertere, ac fascinare queāt? Hinc Origenes 4. tract. super Matth. eos acriter damnat, qui stellas maleficas affirmant: quia nulla stella est à Deo facta quæ malefaciat. Iāblichus lib. de mysterijs, uires oēs ab illis bonas descendere ait. Plotin. lib. de Fato, ita inquit, Iam uerò prauitas morum, quomodo à cælestibus, qui dij sunt, hominibus dari potest? Pierius lib. 3. Hieroglyph. vbi de tauro sermonē habet, Platonem commendat, ꝙ à cælesti corpore, nihil nobis posse demitti mali crediderit. Et à Io. Pico Mirandulano longo processu, lib. 4. aduersus Astrologos ostensum, probatumq; fuit, à cęlestibus corporibus non bella, non uitia, nō morbos, non mortem, non deniq; quidquam mali contingere posse. Quæ igitur insania est, ut nonnulli per ea fascinū iaculari posse garriant? Prætermitto quę D. Cyprian. Io. Chrysost. D. Aug. Hieron. Gregorius, Ambrosius, Lactantius, Seuerianus, Cassiodorus, D. Thomas de cęlestibus corporibus affirmant. Cùm D. Basil. Magnus in Hexamerωn lib. scribat, ridiculum esse Astrologis contradicere, cùm omnia eorum dicta sint ignorantię & impietatis plena. D. quoque Bonauentura in Cētiloquij prima parte, ea quę per astra procurantur, dęmonū illusionem & deceptionē appellat, quam obseruationē à Deo maledictā, & ab Ecclesia interdictā affirmat: velut illam inter alias existimo, qua lunam ingentibus sonitibus iuuari arbitrabātur, quominus ab ea incantantium uoces exaudiri possent, unde uaria instrumentorum genera pulsabant, quò lunę laboranti opem ferrent, sicut Propertius meminit,

Origines arguit, stellas maleficas appellātes.

Plotinus morū prauitatem à cælo nobis dari negat.

D. Bas. cū alijs Theologis astrologos arguit.

Cantus & è curru lunam deducere tentant,
Et facerent, si non æra repulsa sonent.

Iure ergo, ob huiuscemodi errores, ac deceptiones uitandas in Toletana Synodo, ac demum in regulis ex Tridentini Concilij decretis promulgatis, astrologicæ obseruationes prohibitæ ac damnatæ sunt. Quòd uerò superstitiosi quidam tenent, cœlum sentiendi ui pręditum esse, atque incantantium uota & preces audire, falsum esse affirmamus: lucidißimus namque Themistius in hoc sensu sic ait: Constat animantem naturam, utraque sui parte extrema, sine sensu exigere. per extremam autem partem cœli naturam, & plantas intellexit. Sed alia ratione cœlo, alia plantis sensum natura nō tribuit: Plantis, quia uiles & craßæ sunt, ideo dignę non fuerunt, nec eum capere potuerunt, nec etiam eis necessarius erat. Cœlo, quia eminentioris censetur ordinis, quàm ut ad sensuum usum descendere debeat, & neutrum paßione foras accersita ad inquirendum indigebat. Plantę, quia obuiam, & proximum alimentum sortirentur. Cœlum, quia pasci & cibari non neceße haberet. In huiusmodi autem ardeliones secus aßerentes, Damascenus lib. 2. ita clamat, Nullus animatos cœlos uel luminaria existimet: inanimati enim sunt, & insensibiles, & D. Aug. de Ciuit. Dei ait, Non est credēdum, quod plato dicit, globos istos luminum, siue orbiculos, luce corporea super terram, seu die, seu nocte fulgētes, suis quidem proprijs animabus uiuere. Ad ambas uerò rationes cœlo sensum ineße probantes uno uerbo respondetur: quia licet cœli motus secundum partes sit nouus, non tamen secundum totum: sic enim ęternus est: nec particularem, aut uniuersalem motum efficere

Toletana Synodus astrologicas obseruationes dānat.

Cęlum sensu caret.

Plantis cur sensus non attributi.

inten-

intendit, sed motum absolutè. Nec illis hæc fuga suffragari potest, si dicant, quòd cælo tantùm cognoscendi gratia sensus attributi sunt, & non propter salutem, vt caducis animalibus, quia tunc dictorũ sensuum organa cælo natura dedißet, vt bene Arist. cõtra antiquos idẽ tenẽtes probat. Illud verò de metallicis laminis cũ characteribus insculptis, dicimus impiũ, & execratione dignum esse censendum, quia laminæ illæ nullam penitus præcipuam virtutẽ à cælo habere poßunt. Si quidẽ cælũ, vt probauimus, cõmunis causa est, communemque vim omnibus largitur, & nõ particularem, ac proinde particulares vires, quibus res inter se differũt, nõ à cælo, rebus inseruntur, sed omnibus pro sua cuiusq; natura insunt. Cùm enim vnã, & eandem omnibus qualitatem cælũ imprimat, & hac res singulas cõfirmet, & tãquã ex somno excitet, ut pro naturæ suæ quæque viribus actiones exerceat: quas quidẽ singularũ rerum naturas cælum non det, sed tãtùm communi quadam qualitate gubernet; unusquisque iudex eße potest, cælũ imaginibus nihil proprium dare posse, sed illud duntaxat in materiam imprimere, quod in res omnes quouis tempore imprimit. Quis namque Philosophiæ principijs vel leuiter imbutus est, qui actionẽ & passionẽ in illis tãtùm reperiri nesciat, quæ ad idem genus pertinẽt? At naturalia, & artificialia, non proximis modo, sed totis generibus distinguũtur. Si quidẽ naturalia motus, et quietis in se principiũ habẽt; quo quidẽ interno principio, quæ ab arte sunt, carẽt. hac de causa naturalia corpora in artificialia (quatenus artificialia sunt) agere nequeũt. non enim cælum in uestem aliquã agere quidquam potest, quatenus hanc uel illam formam ab artifice accepit: sed

Cęlum nec vniuersalẽ nec particularẽ motũ intẽdit.

Metallicæ laminę dãnantur.

Actio & passio inter quæ est.

Corpora naturalia quo pacto in artificialia agant.

ideo

ideo à cœlestibus uiribus uestem corrodi, tineis consumi experimur, quia ex lana, aut lino, uel pellibus, uel alia materia confecta est, & nō quia hac, uel illa forma conflata sit. Cùm itaque laminæ, & imagines, nihil prorsus à cælo uirium accipere possint, quàm si earum materia eo modo nunquam formata fuisset, clarum est, diabolicum esse illud, quod de huiusmodi fascino obstrepunt. Quod inde clarius fiet; nam si in succino Arietis, aut Scorpionis, aut cuiuscunque signi uel planetæ figuram insculpas, non magis succinum erit, quam priùs, nec uehementius paleam trahet, quàm antea, quia quæ naturam eandem habent, quam priùs habebant, eodem modo à cælo mouentur. Præterea ab arte imaginibus tribui nihil aliud potest, quàm ordo, compositio ac figura: quæ agendi principia esse non possunt, ut bene in Philosophia exercitati norunt. Rursus ars naturæ imitatrix appellatur, quia in externis tantùm partibus naturæ similia facit, interna autē nō contingit. Quòd si partes in profundo sitas attingeret, non ars imitatrix, sed inuētrix natura diceretur. Superficies uerò actionis omnis est expers. Ideo cùm in imaginibus, et figuris, & characteribus tātùm superficies mutetur, per eos agi nihil prorsus potest. Verùm fac, plumbū, aut alias æris species, per fusionem liquefieri, & laminam cū his, aut illis imaginibus formari, quid tum? Annon liquidò constat, ea quæ ab arte sunt, naturæ motibus nullo pacto esse subiecta, & ita à Cœli actione nihil recipere? sed fac, laminis cœlestem fluxum instillari, quod nullo pacto admittitur; num eiusmodi influxus perniciosus, exitialis, & fascinādi ui præditus erit? minimè. nam tum ad Platonis, tum ad Aristotelis, & omnium

Ars naturæ imitatrix.

Supficies actionis expers.

philo-

philosophorum mentem probauimus, cœlum diuinum esse, diuinarum mentium sedem ac locum appellari, & ueluti cor uirtutes in animalis partes diffundit, ita salutares influxus, ac uires in hæc inferiora cœlum immittit. Quando uerò per eiusmodi laminas & imagines tot scelera committi, & tot mira fieri contingit, non laminis, & imaginibus, sed dæmonibus, q talia perpetrarunt, adscribenda sunt. Nec laminæ & imagines quidquam efficere potuerunt, quàm signa maleficorum, ac dęmonum pacta, & fœdera ostendentia præstare. Minimeque uerum est, hominum uota uolatilia reddi posse, ut supra monuimus: neque ex hominum uolūtate comatorum siderum generatio pendet, ut aduersarij defendunt. Si quidem eiusmodi comatorum siderum ortus nihil aliud est, quàm calida & sicca impressio in tertia aeris regione genita prope sphæram ignis, ex calido & sicco uapore solis uirtute eleuata, globus uerò illius uaporis sic unitus, stellæ corpus uidetur. partes autem illius uaporis discontinuatæ circa globum illum, & in longum protensæ in suis extremitatibus illi globo coniunctæ, quasi eius comæ sunt. At si solis uirtute comatum sidus procreatur, fatuum est dicere, ab hominum uoluntate eiusmodi pendere. Et si Regum obitum significare aliquando reperitur, non illius sideris natura, sed diuino iussu fieri potest. Si autem natura fiat, casu & ex accidenti, ita Regum sicut rusticorum interitum portendet. Deus namque immortalis, cùm aliquid diri, uel aduersi, ob mortalium scelera punienda, in mundum est immißurus, id portētis, & prodigijs futurum ostendere, uenturasque calamitates signis, minisq; cœlestibus præmonstrare consueuit, ut qui legendis historijs,

Laminarū actio Dæmon. ascribitur.

Siderū comatorū vis & ortus.

Deus venturas calamitates signis præmonstrat.

rijs, uel mediocriter exercitatus sit, iudicare potest. Hinc Dauid, Dedisti metuentibus te significationē, ut fugiāt à facie arcus. & D. Cyprianus, Hortamur planè quantum possumus, vt quoniam prouidentia Domini monentis instruimur, appropinquare iam certaminis & agonis nostri diem, ieiunijs, uigilijs, orationibus, insistere cum omni plebe non desinamus, incumbamus gemitibus aßiduis, & deprecationibus crebris. hæc sunt enim nobis arma cælestia, quæ stare, & perseuerare fortiter faciunt. In Regnis Hispaniæ, in Oppido Vililla nuncupato Cęsaraugustanæ diæcesis campana quædam est, quam miraculorum appellant; hæc per aliquot menses antequam aliquid aduersi in Christiana Republica contingat, ex se ipsa, nemine impellente, pulsatur. Cuius rei testimonium per publicos tabelliones, testibus plurimis adhibitis hisce oculis egomet legi, præter fidem, quam de eadem re illius Regni Proreges suis litteris faciebant. Quid dicam de cœnobio sancti Mauritij, quod in confinibus Burgundiæ prope fluuiū Rhodanum situm est? in eo enim uiuarium est, in quo iuxta numerum monachorum pisces ponuntur. ex quibus monachis cùm aliquis ægrotauerit, pisciculus quoque semiuiuus supernatare in uiuario cernitur: quòd si monachus è uita migraturus sit, paucis antè diebus piscis moritur. & hoc tum à Cardinale meo, tum ab alijs testibus fide dignis accepi. Vnde non immeritò Diuus Cyprianus ait, Nos quod fidei et charitati, & sollicitudini congruebat, quæ erant in conscientia nostra protulimus, diem certaminis appropinquaße, hostem uiolentum contra nos exurgere, pugnam non talis qualis fuit, sed grauiorem multò, & acriorem uenire, hoc no-

Cypriani uerba de calamitatibus præuisis auertendis.

D. Mauritij cœnobium.

bis diuinitus frequenter ostenditur, de hoc nos prouidentia & misericordia Domini sæpius admonere dignatur. hæc ille. Et quoniam ex Regum interitu regnorum perturbationes oriri solent, & ex eo plurium vtilitates uel detrimenta accidere possunt, atque Deus præcipuam Regum curam gerit: hinc fit ut de illis Angeli magis quàm de reliquis solliciti sint, eorumque ministerio, comata sidera Dei iussu aliquando gigni piè credere possumus; quò de uenturis calamitatibus, ac perturbationibus præmoneantur. Nonnulli uerò aiunt, quòd uehemens & inordinata siccitas & caliditas comati sideris ortum comitari consueuit; & quia ut plurimum Reges, Principes, diuites ac magnates calidis & siccis cibis aluntur, nihil nisi cũ pipere, zingibere, croco, cinnamomo, & alijs aromatũ speciebus uescendo, hinc usuvenire solet, ut plurimi ex illis eo tempore intereant. Arist. autem in lib. meteor. ventos ualidissimos, ac terræ motus futuros ex comati sideris ortu præmonstrari asserit. Cuius rei ratio reddi potest, nam cùm eiusmodi comatum sidus generatur, accidit ut aliqua illius exhalationis pars, in interiori terræ parte commota obductis poris terræ ob internũ frigus concludatur, & intercipiatur, & ex ea inclusa materia, & ex ui sua in multitudinem redacta, per antiperistasin terræ motus fiat. Eadem ratione maris inundationem prænuntiat: at si interdum fructuum egestatem, legum mutationes, Regnorum translationes, lites, rixas, iurgia, & contentiones comata sidera prænuntiare solent, uel fieri potest, quia ob siccarum & calidarum exhalationum eleuationem, homines furiosi, & non sanæ mentis à cholerico humore prædomi-

Comata sidera quo pacto mortis signa sint.

mi-

minantur, uel quia dæmones, Deo sic permittente, ad maleficorum preces, ac uota, ob hominum peccata punienda, eiusmodi agere ac procurare consueuerunt. Arist. autem præsagitionem per Cometas prætermisit, quia admodum incerta est, nec illi fortasse persuasa. Cuius sententiæ libentissimè adhæreo, cùm nil sine causa, & efficaci ratione, neque dixerit, neque tacuerit. Illud quod de fulminum ortu blatterant, execratione potius, quàm confutatione dignum uidetur: si quidem ut ex Arist. didicimus, natura, & non arte fulmina fiunt, ex exhalatione scilicet sicca, sed in humida, seu in his quæ ex humida constant, intercepta, & inclusa, ac ui quadam ab eis erumpente: spiritusque ex quo fulmen conflatur, magna vi è nubibus exilire nititur: cumque nubis densitate prohibeatur, vis eius perpetuò augetur, itaque tandem maximo impetu, ex illa exprimitur, quemadmodum globi qui è tormentis æneis maxima celeritate excutiuntur, in qua uiolenta expressione fulmen accenditur, aut certè plurimum incalescit, & feruidus redditur: quanquam & antequam extrudatur, hinc atque illinc ad latera nubis commeans, nec exire ualens, mobilitate sua, & attritu incalescere potest, & ardorem quendam concipere, qui postea extrusione augeatur. Quin & dum longo spatio per aerem spiritus ille celerrimè defertur, & illa motione agitatur, atque ad aerem caliginosum, & densum alliditur, magis magisque accenditur, & calet; non secus ac sagittarum plumbum aeris attritu, & motus uelocitate incalescit, ut sępè liquefieri contingat. Quocirca duo fulminum genera Arist. commemorat, spiritus tenuitate, & craßitie in-

Fulminum ortus.

Fulminum duo genera, secundũ Arist.

ter se differentia. Vnum spiritus admodum tenuis, alterum craßioris: ob quam tenuitatis & craßitiei differentiam efficitur, ut quod tenui spiritu constat, præ nimia illa tenuitate non incendat, & eò magis si materia in quam incidit non reluctatur, sed cedit: & hinc fit ut æs interdum liquefiat, crumena uerò illæsa remaneat; dolij ligna dißoluantur, uinum exiccatum ob exhalationis illius siccæ admistionem, densum & veluti concretum reddatur. Vnde dolium reluctando exustum relinquitur, vinum autem cedendo seruatur. Etsi

Fulminum tria genera ex Sen.

Seneca tria fulminum genera distinxit: quod terebrat vnum, aliud quod discutit, ultimum quod vrit. Quod terebrat ait subtile esse, & flammeum, cui ob puram flammæ tenuitatem, per angustißima sit fuga. Quod dißipat, conglobatum eße, & spiritus procellosi commistam uim habere, & per foramen, per quod ingressus est, redire, & euadere, ictuque rumpere, & non perforare. Quod vrit, multum terrei habere, & igneũ magis, quàm flammeum, & ideo magnas ignium no-

Fulmina ab Ioue mitti confutatur.

tas relinquere, quæ percußis adhærent. Ad illud uerò de Ioue, dicimus, quòd Lucretius ridet ueteres, quasi Iouem fulmina uerè mittere crediderint. Quid, ut Seneca testis est, tam imperitum est, quàm credere fulmina ab Ioue è nubibus mitti? Sed non tam hebetes illos fuiße existimo, ut ea quæ de his ab eis tradita sunt, crediderint. Quin potiùs, ob imperitorum hominum animos coercendos sapientißimos uiros hac de re locutos censeo, ut aliquid supra nos eße ostenderent, quod timeremus. In tanta namque scelerum audacia non parum fuit utile, aliquid eße docere, ad quod euitandum nemo sibi idoneus videretur.

tur. Id uerò quod de M. Herennio Decurione fertur, & in Catilinianis prodigijs legitur, fabulosum esse credo. nō enim fieri potuit, ut sereno die fulmine ictus fuerit: in maxima namque tempestate, & tetra nimborum caligine mitti fulmina, & experimur, & ex Aristot. didicimus. hinc Lucretius:

M. Herennium sereno die fulmine ictū refellitur.

Fulmina gignier è crassis, alteq; putandum est
Nubibus extructis: nam cęlo nulla sereno,
Nec leuiter densis mittuntur nubibus unquā.

Si enim sereno die fulmina mitti contingeret, non bene eorum constitutio tradita esset, quando dictum est, fulmen multum & tenuem spiritum esse à nube expressū. Vnde à fulgure differre aiunt, spiritus expressi multitudine, quoniam fulgur non è multo spiritu, & illo quidē sparso, & per interualla exeunte excitatur. In fulmine autem multus est, & simul extrusus, quod à cæteris spiritibus à nubibus extrusis tenuitate, & subtilitate differt, quia si materiam inueuit, quæ illi transitum prębeat, illam non ferit; si resistentem aut reluctantem, percutit aut adurit, quod quidem de alijs non legitur, nec creditur. Hinc etiam experientia comprobatum est, Autumno & Vere fulmina maximè mitti, quia exhalatio è qua oriuntur, hyeme, frigore rigente extinguitur, nec sursum ascendit. Aestate uerò præ nimio calore dißipatur, nubesque tam densæ non fiunt. Et ego cum Peripateticis quædam quæ a fulmine non feriantur, non admitterem, ut de Aquila, uitulo marino, & Lauro ferunt: non enim uoluntario sed uiolento motu mouetur, & absque cognitione. Et ego Laurum à fide dignis de cælo tactam audiui. Cæterùm, si quæ uenenosa fulmine icta, uenenum amittunt,

Fulguris & fulminis differētia.

Fulmine omnia feriūtur.

Laurus fulmine percussa.

& quæ non sint, venenosa fiant, inde contingere potest, quòd fulmen, spiritus & sicca exhalatio est, ex cuius admistione quæ sulphurea & amara est, quæ veneno carebant, venenosa fiunt, reliqua autem venenosa, venenum amittunt, eiusmodi exhalatione illorũ uenenũ extinguente & expellente, Ratio autem, cur arborum rami fulmine tacti ese sursum tollant, & homo quoque faciem erigat, hæc esse potest: quia fulminis exhalatione rami sicciores fiant, quocirca in alteram partem inclinari, postea vi ac suæ naturæ relicti sese erigunt, vt contra fulmẽ stare existimentur. At homo faciẽ erigit, nã veluti attonitus à fulmine redactus ita supinus iacet, quasi aduersus fulmen pugnare uideatur, illiq́; resistere velle indicetur. Lapis verò, qui interdum ex fulmine cadit, siue metalli quodvis genus sit, ex eadẽ materia intra nubẽ, è qua in terræ visceribus generatur, nẽpe ex humidæ & siccæ exhalationis admistione, quæ quidem exhalatio, quemadmodũ fuerit, maioremq́ue huius aut illius partem in se habuerit, ita lapidem aut metallum efficit. Nec à ratione & natura alienum est, posse illas exhalationes, in nube, vt in terra misceri, atque concrescere, atque insolubili quodam nexu adeò duras fieri, ut in lapidem, aut metallum crescant. De ingẽti tamen metalli magnitudine in tam paruo temporis spatio, an ea in nubibus genita sit, vt Auicenna memorat, affirmare non auderem; Corpora, inquit, & ærea, & similia sagittis hamatis in Persia, cùm coruscat, decidunt; quę in fornacibus non liquescunt, sed eorum aqua in fumum resoluitur, terra autem fit cinis. Decidit quoque ferri massa quinquaginta librarum, quę prę duritie frangi non potuit. Cuius pars ad regem Torati est missa,

Homo fulmine ictus supinus iacet.

Lapidis ex fulmine cadentis materia quæ.

Monstrosa ferri massa quæ ex fulmine, secũdum Auicennam cecidit, negatur.

missa, is verò ut enses inde cuderentur, iussit; sed illa, nec frãgi, nec cudi potuit. Arabes aũt dicunt enses Alamanicos, qui optimi sunt, ex eiusmodi ferro fieri. Hæc ille. Quæ ego creditu difficilia, & mercatorum commenta esse existimo, vt suos enses carius vẽdant. Nec minus à ratione alienũ cẽseo hoc, quàm quod alibi Auicenna affirmat, se scilicet uitulum è fulmine cadentem uidisse. Nam quamuis animalia minus perfecta, ut ranæ in aere, ex materia pręparata procreari possint, perfectum tamen non nisi ex semine in femellę utero gigni põt; quo fit ut Auicenna, aut uitulũ illũ cadentẽ somniauerit, aut alijs narrãtibus nimis leuiter crediderit. Aut si ipse aut alius fide dignus uiderit; turbine aliquo uitulus alio in loco sublatus fuit, deinde in terrã ubi Auicenna aut alius erat, demissus, ut è nubibus cadere uideretur: nã lapides & animalia in sublime subduci per turbinẽ possunt. Cuius turbinis ortus nõ ab hõium uolũtate, sed natura fiunt, ut Arist. docet. Ventus namq; in circuli speciem excitatur, cùm spiritus qui è nube excernitur, alterã in nubẽ incurrit, atq; ab ea ob illius densitatem repercutitur, ac ne rectà feratur, prohibetur; perinde atq; in terra euenire solet in locis angustis, in quæ ex amplo & patulo loco uentus coactus est; in quibus locis turbo & uertigo fieri contingit: idq; hac de causa, nã ipsius spiritus fluentis prima pars repellitur; quia corpora in quæ incurrit, nõ cedunt, sed renitũtur; aut ob locorum angustiam, aut quòd alius flatus contrà spiret. Illa igitur flatus prima pars repulsa, & ab eo q̃d obstat, ne progrediatur impedita, cùm etiam retrocedere ob flatum qui sequitur, & à tergo impellit, non ualeat; in obliquum necessariò fertur, qua nimirum

Ensis Alamanici materia quæ.

Animalia perfecta in aere minimè generãtur.

Turbinis ortus.

parte non prohibetur, ita uerò ut quod deinceps sequitur, in obliquum unà cum eo semper deferatur, donec eiusmodi pars prima reflexa, cum eo quod à tergo impellit, cõiungatur, & orbis unus efficiatur: cumq; unus motus sit, alia quàm orbis figura fieri nequit, & uelu ti narrato modo in terra, ob dictum flatum ne rectà feratur impeditum, uentorum uertigines efficiuntur: ita in nubibus fit, si is qui excernitur spiritus in nubẽ incurrat, quæ rectum illius exitum impediat, ut diximus. Qui profectò turbines è nubibus ex aere in mare incidẽtes, ea quæ in primo libro dicta sunt, & multò plura effi cere possunt. Minimeq; pluuiæ ex lacte, sanguine, carne, ferro, & alijs huiusmodi hominum uoluntati adscribendæ sunt, cùm naturę ordine ex uaporibus caloris uir tute ex multis terrę differentijs in aerẽ delatis eis simi les fiãt. Terrę.n. alię macrę sunt, alię pingues, alię mediocres, alię rarę, alię densę; sunt item molles, duræ, leues, asperę ac cęruleæ, cinereę, fuscę: pręterea dulces, pingues, acres, suaues, astringentes. Vnde fit, ut pro ua porum exhalationumq; diuersitate naturam, colorem, saporem & odorem pluuiæ induant. Quibus terræ differentijs id accidere arbitror, quod Eustathius Homeri interpres ait, in Armenia scilicet rubentes niues cõspici, illa etenim loca minio scatẽt, cuius colore exhalationes, ex quibus niues fiunt, tinguntur. Et licet Aristoteles nullibi lapides in nubibus gigni dicat, & qui in flumẽ Aegos decidit, ui uentorũ sublatum asserat, tamen non ex hoc infertur, quòd in nubibus non gignantur, ut suprà tetigimus: cùm illuc halitus siccus humido admistus, quæ lapidum materia est, euehatur. Verùm si interdũ fulmina, grãdines, pluuias, uentos, turbines,

Pluuiæ lactis & sanguinis an fiant.

Terrarum differentiæ variȩ.

Niues rubentes in Armenia quare.

&

& alias aeris perturbationes, pro hominum voluntate fieri conspiciamus, huiuscemodi non hominibus, sed dæmonibus adscribenda censeo; quorum innata virtus ad huiusmodi efficiēda sola sufficit, cùm materia ex qua fiunt, dæmonibus obtemperet. Quæ omnia inde manifestiora esse possunt; nam vt Olaus Magnus refert, Haquinus Nouergiæ Princeps contra Danos pugnaturus, orti imbris maleficio ita hostiū vertices inusitatis grādinis ictibus conuerberauit; vt eorum oculi veluti quibusdam nimborum spiculis lacessiti, prospiciendiq; penitus facultate priuati, grauiorem ab elementis pugnam, quàm ab hostibus sustinerent. Biarmenses quoque, eodem Olao referente, polo Arctico viciniores, in Septentrione cōtra potentissimum Regem Regnerum pugnaturi, carminibus aggressi cælū, sollicitatas nubes ad summam usque nimborum violentiam impulerunt. De uentis autem idem asserit, ꝙ Henricus Suetiæ Rex, in magica arte nulli suo tempore secundus, tam familiaris malis dæmonibus erat, ut quocunque suum pileum verteret, confestim inde optatus uentus spiraret, quo euentu inditum illi nomen fuit, ut uentosus pileus diceretur. Finni præterea, ut idem testatur, negotiatoribus in eorum littoribus contraria uentorū tempestate impeditis, uentum uenalem exhibere solebant; mercedeq; oblata, tres nodos magicos non cassioticos loro constrictos eisdem reddebant; eo seruato moderamine, vt vbi primum dissoluissent, uentos haberent placidos; vbi secundum, vehementiores: at ubi tertium laxauissent, ita sæuas tempestates paterētur, ut nec oculo extra prorā in euitādis scopulis, nec pede in naui ad uela deprimenda, aut in puppi pro clauo dirigendo, integris viribus poti-

Aeris perturbatiões dæmonib. quandoq; adscribuntur.

Olai historia de quodā qui grādinis ictib. contra hostes pugnauit.

Henrico regi Suetiæ quo pacto venti obediant.

Finni venalem ventū exhibent.

Xerxis præfecti quo pacto secũdos uentos habuerint.

potirentur. Quòd asseritur vendi ventos, Herodotus lib. 7. de Præfectis Xerxis testatur, quòd in triduana tempestate quadringentas naues amisere: donec quarto die Magi incisiones faciendo, & veneficijs incantando uentum, Thetyi & Nereidibus sacrificando tempestatem compescuerunt. Et quoniam dæmones humani generis capitales hostes, & honoris cupidi hominum mentes obcæcatas tenebant, atque illius tẽporis mortales veri Dei cognitionem ignorabãt, hinc est, vt cùm dæmones suo arbitratu ad hominum preces talia efficerent, pro dijs haberentur; sibiq; sacerdotes inter cætera pro fulminibus procurandis expiandisq; constitui voluerint, vt in decemuiralibus legibus habetur. Qui quidem sacerdotes à Marco Catone, vt diximus, fulguratores appellantur. At nobis qui longè herclè fælicio-re ætate geniti sumus, propterea ꝙ verum Deum quotidie intuemur, contemplamur, atque veneramur, nullisq; amplius dæmonum præstigijs & imposturis illudimur, ecquid turpius magisve pudẽdum est, quàm nugas terere? & fonte veritatis amisso, fabularum ac deceptionum riuulos sectari? cùm præsertim ita natura comparatum sit, vt nullus animo suauior cibus sit, quàm veri cognitio. Qua veritate motus ad vanam cæli obseruationem refellendam, & ad cæteras nugas confutandas, quorum causa fascinum iaculari creditur, consultò veni.

Sacerdotes fulguratores.

Veri cognitio, cibus animo suauissimus.

Propria fascini diffinitio traditur. Cap. XV.

EXaminatis & discußis partibus, quibus fascinum, ex Philosophorum sententia diffinitum fuit, reliquum est, vt ad Theologorum aures, vera eiusdem diffinitio

finitio assignetur. Quam hanc esse statuo: *Fascinum est perniciosa qualitas, dæmonum arte illata, ob tacitum vel expreßum hominum pactum cum eisdem dæmonibus firmatum*. In qua quidem diffinitione, res diffinita est Fascinum, reliquæ verò partes diffinientes sunt; ex quibus perniciosa qualitas generis vicem gerit, reliquæ autem, differentiæ locum tenent. Et meritò tacitum vel expressum cum dæmonibus pactum ponitur: maxima namque differentia est inter eos qui tacitè, & eos qui expreßè dæmones inuocant, vt 1. cap. sequentis lib. fusius dicemus, & cap. 11. præsentis lib. tetigimus: vterque tamen modus eò spectare videtur, vt dæmonibus honor & cultus quidã exhibeatur, dum rebus aut verbis ab illis institutis tanquam sacramentis, ad turpes affectus superstitiosi vtuntur. O infœlicis deceptionis errorem, tale numen colere, quod hominibus quotidie imponit, eorumq; sempiterno interitu gaudet. Cuius vanissimæ credulitatis laqueis, vniuersum ferè terrarum orbem respersum videmus. Cæterùm præstat, vt ad reliqua ventilanda descendamus, quod in sequenti tractatu exequemur.

Fascini propria diffinitio.

Qui diabolũ colunt, miserrimi sunt.

DE

DE FASCINO LIBER TERTIVS LEONARDI VAIRI BENEVENTANI

Ordinis S. BENEDICTI *Canonici Regularis*, *ac sacræ* THEOLOGIAE *Doctoris*:

Auctoritatum fascinum esse loquentium verã expositio ac sensus. CAP. I.

Diffinitionis cognitio omnes difficultates elucidat.

Ars & natura repẽtinos motus abhorrent.

NEMINI *mirum visurum arbitror, si in præcedenti libro, non à primo huius materiæ capite examinando, verùm à secundo orsi sumus. Siquidem maiorem lucem atq; intelligẽtiam ex definitionis examine, dicẽdis afferri posse existimauimus, q̃ si ab ipso* SI EST, *initiũ sumptũ fuisset. Quod quidem pertractandi præceptum ab Auerroe in lib. de Physico auditu mutuati sumus; vbi non rei naturam tantùm, sed omnes difficultates de re incidentes ex diffinitionis cognitione, diluci dari docet. Accedit etiã, quod in lectorũ odium, ac maleuolentiam incidissem, si in ipso operis limine fascinũ in hominum, ac vulgi opinione receptum in dubium vocare uoluissem: ars enim, sicut natura, repẽtinos motus*

tus

tus abhorret: ideo paulatim veritatis uiam fascini causas rimando, & discutiendo examinari oportuit, quò falsitatis, ac deceptionis origo, & fundamentum cognosceretur, & cognitum radicitus auferretur. Confutandi præterea modus similis est resolutioni, quæ compositioni est admodum contraria: componẽtes enim à principijs, resoluentes à medijs, ac postremis exordimur. Cùm itaque primo lib. tradita confutaturi essemus, dissimili ordine à compositione incipiendum fuit, ut Boetius non semel monet. Verùm ut à nobis dicenda clarius intelligantur, notatu dignum existimo, duobus præcipuis modis apud Veteres fascini nomen usurpari solitum; primo pro Priapi pene, ut Aug. lib. 6. de Ciuit. Dei Cap. 9. refert, quo quidem modo Ouid. usus est,

Fascini nomen duobus modis sumptum apud veteres.

Soles sacrum reuinctum pampino caput,
Ruber sedere cum rubente fascino.

Super ipsum namque noua nupta more honestissimo, et religiosissimo matronarum sedere iubebatur. Horatius quoque rem eandem fascinum nominat in Epo. ita inquiens: Minusve languet fascinũ. *Causam Porphyrius adducit, quòd fascinãdis rebus hęc membri deformitas adderetur. Alij potius ab auertendo fascino, dictum esse censent: quòd in sacris Dionysij ritè propitiato Priapo, & imposita illi corona à matrona honestissima, fascinum à frugibus auerteretur, ut Aug. lib. 7. de Ciuit. Dei, ex Varrone meminit; & ad fascinũ amoliendum super id sedere iubebatur: nam Pompeius Festus uersus Fescenninos, qui in nuptijs dicebantur, etiam inde uideri dictos posse scribit, quòd fascinum arcere existimarentur. atq; illi etiam qui fascinum pellere credebantur, Fesnoę, uel Fescennini dicebantur. Et sicut in*

Fescenini versus vnde dicti.

agris,

agris, ita et in nuptijs Priapus seminum Deus, ne fęcũditas fascinatione impediretur, colebatur. nisi potius sit, quod Lactantius lib. pri. ait, Mutinũ esse Deũ, in cuius sinu pudendo nubentes primùm sederent, vt illam pudicitiam prior Deus delibasse videretur: qui fascini modus, cùm nullã penitus rationẽ præ se ferat, omniq; turpitudinis genere refertus sit, confutatione non indiget. nam vt 1 Ethic. ab Arist. dicitur, non quæuis opiniones refellendæ sunt, sed quæ probabilitatem aliquam habent & rationes aliquas, quibus nitantur. Secundò fascinum sumptum reperio sicut pri. lib. à nobis definitum est, quod satis superq; præcedenti tractatu examinantes confutauimus: & illius erroris, ac deceptionis origo, præter ea quæ diximus, inde ortum habere potuit, quod dæmones omniũ artium ac fraudum quas hominibus tendere potuerunt, nihil intentatũ reliquerunt, quò illorũ mentẽ a ueritatis uia ac scopo abstraherent, atq; diuerterent: scientes quòd ubi deceptio uel leuiter semel humanũ intellectũ inuaserit, adeo cęcos homines reddit, ut ad omniũ scelerum perpetrationẽ eos flectat, ac penè pręcipitet. Illos namq; cõmunes omniũ hostes non latet, quòd ueluti nemo est tã fatuus, vt sponte sese præcipitẽ det, sic postquã semel ipsis adhæserit, etsi maxima præditus sit sapientia, vi sua ab eius retibus ac laqueis fugere nullo pacto potest. Quocirca per nonnullas imposturas, ueluti per quædã oblectamenta humanum genus fallere cœperũt. Mortuisq; ijs quibuscum expressum fœdus inierũt, per vsum ueneficiorum, collyriorũ, vnguẽtorum, potionum, alligationũ, suspensionum, annulorum, imaginum, characterũ, laminarum, certorum numerorum, sonorum, sacrificiorum, solitudinum, imagi-

Quæ opiniones refellendæ.

Dæmones quo pacto fascini causa sint.

Fœderis expressi cũ Dœmon. vsus.

natio-

nationū,incantationū,adiurationum, consecrationum, ieiuniorum,somniorum,orationum,cęremoniarum,cœlestium coniunctionum, & aliorum huiusmodi: posteri succedebant, ad quos dęmonum familiaritas & amicitia,uelut hæreditario iure per innumeras superstitiones,& inter alias per matris & filij concubitum, iuxta Persarum superstitionem proueniebat, vt Catullus ait;

Fascinandi virtutis hæredes.

Nascatur magus ex Gelli matrisq; nefando
Concubitu,& discat Persicum haruspicium.
Nā magus ex matre & gnato nascatur oportet,
Si vera est Persarum impia relligio:
Natus ut accepto veneretur carmine diuos,
mentum in flamma pingue liquefaciens.

Magi natiuitas ex Catullo.

Quorum posterorum alij expressum, nonnulli tacitū pactum superstitiosis quibusdam signis adhibitis cum dęmonibus seruabant: sibi persuadentes eiusmodi signa causas illorum effectuum esse, quos perficere intendebāt. Dęmones autē, qui per notiones sibi inditas, maximam rerum omnium scientiā habent (virtutes namq; cœlorum, stellarū, uolucrum, piscium, arborū, herbarū, metallorum, lapidum, elementorum optimè callent, & quid homini prodesse aut obesse possit, non ignorant: quid morbos, mortem, cruciatus, aut alia quæuis nocumenta afferre queat, bene norunt) secretò venena adhibebant, aut in vestem, ant in potum, aut in cibum, aut in stomachū immittendo: eis etenim corpora omnia obediūt, ut sępius diximus: Vnde per naturæ uenena dęmones ea faciebant, quæ fascinatores per oculos, aut alia instrumenta se efficere putabant nā uenena fascinantes ignorabāt, nec illis rebus quas perdere uolebāt, ea adhiberi cernebant: eaq; flagitia nō omniū, sed illorū tātum

Dęmonum scientia.

gratia

gratia præstabantur, qui eiusmodi tacitum, uel expressum pactum cum dęmonibus habebant. interdum autem in una familia admodum pauci reperiebantur, qui id facerent, sæpè tota familia huius criminis hęres erat, aliquando etiam totus unius Vrbis populus hac pestilentia contaminatus erat: quæ labes per dæmonum astrum, ac malitiam deinde diffusa, totum terrarum orbem inuadere cœpit, tantasque in hominum animis radices egit, ut si Iesus Christus Saluator noster in hunc mundum ad humanum genus redimendum & illuminandum dęmonumque fraudes destruendum non uenisset, adhuc in tantorum errorum tenebris iaceremus. Quemadmodum ueteres iacuisse legimus, & inter alios Isigonum, ex cuius sententia Plin. lib. 7. cap. 2. refert, in Triballis, & Illyrijs homines reperiri, qui uisu effascinent, interimantq; quos iratis præcipuè oculis diutius intueātur, & ex Nymphodoro in Africa, familias quasdam effascinātes tradit, quarum oratione laudata quæque intereant, arbores arescant, infantes emoriātur. Et ex Apollonide huius generis familias in Scythia esse prodit, quæ Bythiæ uocātur, ac deniq; in Ponto Thibiorum genus, multosq; alios eiusdem naturæ ex Thilarcho narrat. Eodem quoq; pacto illud Arist. Alexādri, Solini, Heliodori, Plutarchi, Pomponatij, Auicennæ, Algazelis, omniumq; hac de re loquentium intelligendum est ac denique omnes auctoritates, & rationes à nobis ad fascinum esse probandum adductas eodem sensu intelligendas, & exponendas duco, hoc est non propria ui, sed dęmonum arte eiusmodi mala homines intulisse. & ubi Arist. de fascino in problematibus locutus est, sectione 7. problemate 7. ibi non de sua, sed de aliorum

Mala per Dęm. perpetrantes qui.

Christus fraudes Dęmonū destruxit.

Populi fascinantes, non ppria vi sed Dæmonū arte fascinabāt.

aliorum mente respondet, vt fecit quando lumen eße corpus dixit, quia sic Anaxagoras & Democritus sentiebant, atque Arist. satis est, nunc ad huius nunc ad illius placitum problemata soluere. Cùmque magis magisque innumera propè mala à scelestis hominibus passim perpetrarētur, opus fuit apud veteres (vt in Decēviralibus tabulis notatū citauimus) omnes capitis obnoxios iudicari, qui eiusmodi scelera perpetrassent, segetes excantaßent, aut vllis veneficijs & carminibus pellicere ausi eßent. Ad illud verò de Agricola, q in iudiciū vocatus fuit, quòd omnes segetes, ac vineas suo prędio vicinas fascino arefecerit, et sua sata opima reddiderit; dicimus, terrā cū animalibus, et plātis proportione ac similitudine quadā, quædā principia habere; nam & stirpibus & animalibus, eorumq; partibus status ille ualidus & vigens, ac senectus cernitur, et huiusmodi à frigore & calore ortum habent. quos equidem status in terra inueniri, & ab eisdem causis proficisci, cū Arist. in pri. Meteororū asserimus. Sed hoc īterest, qa animalia nō p partes iuuenescunt, aut senescunt, sed tota simul corpora, terra verò nō tota simul, sed p partes, vt quibusdā in locis iuuenescat, vigeatq; in alijs senescat. & sicut animalia, et stirpes, tū cū vigore prædita sunt, humore abundant, quo cū senescūt, destituuntur; ita et partes terræ vigētes ac firma ætate prędite, humidæ sunt, & ad aliquod vsque tempus in eo statu perseuerare possunt; senescētes autem arescunt, et effætæ fiunt: q̄ permutatio in aliquibus partibus terræ reperitur. In siccitate namque & frigiditate, senectus est posita. In senectute stirpium et animalium, humor ille natiuus, quo viridior ętas pollebat, quiq; caloris natu-

Agrorum & stirpium iuuentus & senectus est.

Senectus in siccitate & frigiditate posita est.

ralis sedes est & alimentum, imminuitur quousque ad extremam siccitatē redacta sua spōte intereant. Cùm itaque ꝑ naturæ principia terra pinguis ad sterilitatē deflectere queat, quæ principia dæmonibus nota ad nutum eis obtemperāt, clarum est ac manifestum, dęmonum ope, ab agricola id effici potuisse. quemadmodum illud accidisse reor, quòd Plinius de Olivueto viam publicam transgresso, et de prædijs in cōtrarias sedes profectis narrat, ac Virgilius de satis messibns aliò traductis in Bucolicis affirmat. quæ omnia ex Diui Aug. sẽtentia lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 19. dęmonum ministerio fieri potuerunt: & nunc si Deus sineret, ab illis similia fieri possent. Sicut enim humanus animus, ad corpus sibi unitum mouendum se habet: ita spiritus illi tanquam eleuationes ad omnia inferiora corpora mouenda se habent, ut Aug. ac cæteri Ecclesię Doctores sentiunt; nisi quòd totam terram mouere, aut à suis locis elementa extrahere non pnsunt, cùm naturę ordinem destruere nequeant: at domum, montem, turrim, Syluam facillimè mouere possunt. mira namque celeritate, & tempore incomprehensibili ab Oriente in Occidentem, à terra ad cœlum, & è conuerso, etiam continuo motu, non transeundo per media, mouere queunt: ueluti nostra imaginatio iuxta sanctum Thomam mouetur. Quòd si terræ pars, de uno ad alium locum per naturæ causas trāsferri potest, pariterq; à dęmonibus sedibus suis dimoueri, mirū uideri non debet, si eisdem de causis mare ĩ terras irrūpere, aut eas deserere ĩterdū accidat, marisq; et terrę mutatio fiat. Cuius rei non vna, sed plures causę esse solent: vt terrę motus, vis vẽtorum, stellarum virtus, aggerū ꝗbus continetur effractio,

Ager naturaliter sterilescere potest.

Dæmones naturæ ordinem destruere nequeunt.

ctio, & incendia quæ postrema ratio in causa superioribus annis fuit, vt Puteolis aliquot miliarium interuallo mare à terra recesserit. Memoriæ prętereaproditum est, in Ambraciæ Portu decem millium passuum interuallo mare recessisse. Item Athenis quinquemillium, & supra Memphim vsque ad AEthiopum montes: & Ephesi, ac circa Ilium. Pindarus quoque maris recessu Rhodum apparuisse inquit. de Ammonis regione, & de eius circa templum exsiccatione Strabo ex Eratosthene meminit lib. pri. vbi ad tria millia stadiorum, quod est spatium viæ, qua ad illud itur, permultam ostreorum effusionem esse tradit; per multa quoq; salis semina, ac prope etiam ipsum, maritimarum quàm plura nauium fragmenta ostentari, quę hiantibus terris apparuerunt. Hinc Xanthum Lydiũ, & Stratonem Physicum existimasse, loca illa mare aliquando fuisse. Vnde illud Plinij ita intelligitur, quando ait, terras multas nasci non solùm fluminum inuectu, sed etiam maris recessu. Mare insuper in terras irrupisse, multaque loca sicca & habitata, inundasse legimus. qua ratione multę insulæ factę sunt, quę priùs iunctę erant. Sicut Sicilia à Calabria auulsa fertur, Cyprus à Syria, Eubœa à Bœotia. Anaxagoras maris inundationem in multa loca sensisse fertur: qui interrogatus, an aliquando futurum esset vt Lampascos aqua tegeretur, respondisse dicitur, nisi tempus finem recipiat. In multis denique locis hęc terrę & maris vicissitudo, ob vestigia quędã relicta spectatur: vt etiã sint qui putent, totũ Mediterraneum mare per columnas & Gaditanum fretum intra terras irrupisse, totãque eam, quæ nunc tegitur, aquis partem inundasse.

Mare à terræ multis in locis recessit.

Rhodus apparuit ex maris recessu.

Mediterraneũ mare excursu Oceani factum est.

Particulare diluuiũ natura fieri potest.

et ita particulare diluuium natura fieri potest; nõ autẽ vniuersale, quale à Poetis Deucalionis tẽpore fingitur, vt aliàs innuimus, quo totum genus humanum præter ipsum Deucalionem & Pyrrham interijsse perhibent: Vnde Seneca ait, Berosũ ea sententia fuiße, vt putarit totius terræ inundationem fore, cùm sidera omnia errantia in Capricornũ conuenerint, sic sub eodẽ posita vestigio, vt recta linea per eorũ orbes poßit exire. At quoniã illius signi virtus in omnes terræ partes diffundi nõ potest, siue specialem influxum illi adscribamus, siue luminis & caloris priuationem, ob tales effectus, ideo cùm in Septentrionalibus partibus duntaxat eiusmodi dominiũ habẽt, ob eam causam ibi solùm tale diluuium accidere posset. Natura etenim ita rerũ oĩum causas ordinauit, vt ad vniuersi conseruationem, & nõ ad destructionem pertinerẽt: quò fit vt maris ac terrę mutationis vicißitudo, non vbique terrarum, sed quibusdam tantùm in partibus per dæmones sicut per naturę causas fieri queat, quemadmodum de eiusdẽ terrę partis translatione de vno loco ad aliũ diximus. Deus enim totum elementum à suo loco dimoueri non patitur, ne mundi ordo destruatur. Illud verò quod sub historiæ nomine à Philostrato de Apollonio Thyaneo scriptum legitur, à scripturis sanctis, quę à populis idololatris corruptę fuerunt, veluti nonnullas poetarum fabulas, & gentilium scripta originem duxisse, cum Paulo Orosio arbitrari quis posset. Sicut Deucalionis & Pyrrhæ diluuium, à vero diluuio Noe: Phaetontis à Cœlo casus, à miraculoso die, qui tot horis tempore Iosue auctus fuit; bellum Gigantum qui montes cumulabant, vt cum Ioue pugnarent, à Babelis turri:

Berosi opinio de futuro diluuio.

Elementũ totũ à suo loco dimoueri nõ potest.

Ethnici scriptores scripturam sacram profanarunt.

deorum

deorum ambrosia à manna, quam in deserto Israelitis pluit: pestis Romana, ab illa quæ in deserto fuit: Aesculapij serpens ab Epidauro ueniens, ab illo æneo Moysis: sic Apollonij Thyanei præstigiæ, à ueris Saluatoris nostri Iesu Christi miraculis occasionem sumpserũt: quẽ Apollonium, cùm Philostratus tot mira de Saluatore nostro audiuerit, illo argumento utens extollere uoluit, ut scribendi materiam haberet, uti nonnulli censent. D. uerò August. de Ciuit. Dei, cap. 19. lib. 8. illum Magnum fuisse affirmat, Romanisq́; legibus apud Domitianum Cæsarem de magia postulatum fuisse, sicut Apuleium apud Claudium Maximum Africæ præfectum. Ad auctoritates uerò D. Thomæ, Hieron. Isidori, & omnium priorum scriptorum fascinum asserentium respondemus, quòd si bene inspiciantur, omnes de malo per dæmones illato loquuntur, quod uerius ueneficium quàm fascinum diceretur. Sed quoniam uulgaris hominum sermo fascinum appellat, nos quoque ita nuncupauimus. At in illis uerbis Psal. Qui timent te, uidebunt me: interpretes de aue Ictero atque de reliquis non assertiuè, sed aliorum opiniones recensendo loquuntur. Verbum autem ad Galat. D. Pauli, interprete Hieronymo, fascinauit, pro inuidere sumitur: quia cùm Galatæ in Christo quasi modò geniti infantes fœliciter crescerent, à falsis Apostolis inuidentibus quasi à fascinantibus læsi sunt, & ad legis inopiam ac miseriam tabescentes, ueluti fascinati reducti fuerunt: nã quemadmodum fascinator diros in infante oculos figit, donec horribili intuitu, aut dæmonum ope illi noceat; ita peruersus ac pestilens doctor oculum suum improbum, hoc est, impiam doctrinam in simplices animas, instillando figit,

Christi miracula Thyaneo Philostratus attribuit.

Apol. Thyaneus à diuo Au Magus habitus.

D. Pauli locus interpretatus.

quousque meram & germanam intelligentiam diabolico suasu corrumpat: & quis vos fascinauit? id est, more magorum ludificauit, atque decepit, vel more oculos inficientium veneno falsitatis immutauit? Quocirca beatus Hieronymus, ex vulgari sermone & vulgi opinione Apostolum locutum censet. Sicut nonnulla ex Gentilium scriptis in diuinis litteris assumi videntur; quæ à Poetarum fabulis causam & originem habent, ut Vallis Titanorum 2. Reg. 23. Sirenæ & Onocentauri, Esa. 34. Arcturus, Orion, Pleiades, Iob 9. cap. Eodem quoque modo illud Sapientiæ, pro inuidia interpretes exponunt. Nam sicut sacris scriptoribus consuetum ac familiare est, fascinare pro inuidere vti; ita è contrà profani inuidere pro fascinare assumunt, cùm fascinandi libido ab inuidia oriri soleat. Vnde Catullus,

Multa ex Gentilium scriptis in diuinis litteris vsurpantur.

Catul. de Inuidia.

Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut ne quis malus inuidere possit.

Quòd autem inuidere pro fascinare Poeta intellexerit, ex alterius epigrammatis uersibus in eodem sensu compositis colligimus, vbi sic ait:

Possit, nec mala fascinare lingua.
Quin nec pernumerare curiosi

Eis enim rebus fascinatio nocere nō posse credebatur, quarum numerus ignoraretur: sicut nostræ tēpestatis mulierculæ, in superstitiosis rebus exercitatæ non ignorant. Dionysius Carthusianus citata Sapientiæ uerba. 4. cap. Fascinatio malignitatis obscurat bona, exponēs ait; Inuidus non solùm sibi ipsi, sed etiam his nocet, in quib. aliqua bona esse incipiunt. Et quia, vt Cic. in 3. Tusc. inquit, Inuidētia est animi ægritudo, quæ pp alterius res secundas suscipitur, nomen uerò inuidiæ ambiguum

Inuidentia qd ex Cic.

guum est, quæ in utrumq; cadit, & in eum qui inuidet, & in eum cui inuidetur: ideò Carthusianus fascinationem suprà citatam, ut nominis ambiguitatem fugeret, non pro inuidia, sed pro inuidentia exposuit: quæ est uera ratio & causa, qua quis ad inuidendum, fascinandum, & malum machinandum mouetur. At Nicolaus de Lyra, in eorundem Sapiẽtiæ uerborum expositione, inquit. Fascinatio est propriè sensuum illusio, sed tractũ est hoc nomen ad significandum omnem deceptionem: & loco malignitatis, legit ipse nugacitatis, id est, uerbositatis ornatę, ut exponit, obscurat bona, quia frequẽter facit ea apparere mala. Qui exponendi modus, etsi parum diuersus, contrarius tamen sensui, quem D. Pauli uerbis dedimus, non est; vbi loco, fascinauit, textus Græcus habet ἐβάσκανε, *quod verbum pro inuidere sumptum reperio, ut diximus. Inde Bascania apud ueteres quædam ridicularia dicebantur, quæ Fabri ferrarij ante fornaculam appendere soliti erant, inuidiæ auertẽdæ gratia, ut Ludouicus Cęlius Lectionum antiq. lib. 20. c. 30. ait: ex cuius relatu ille qui oculorum acie ob inuidiam conceptam pernecare & corrumpere uisa putabatur, Bascanius appellabatur.*

Inuidię nomen ambiguum.

Sap. locus explanatus.

Bascania apud veteres quæ.

Quale fascinum sit, ex Theologorum sententia. Cap. II.

VNiuersam & communẽ affectionẽ quæ fascino inest, nemo est qui nesciat: quippe quæ tantã calamitatem, adeoq; pestilentem perniciem rebus afferre solet, ut uirulenta atque lethalis existimanda sit. Particularem uerò, ac specificam fascini proprietatem

Fascini uis lethalis.

nosse, admodum difficile est, cùm dæmones aperire nemini consueuerint, quibus rebus fascinantium gratia, mala inferant. Quapropter re expertū est, ne medicos quidem specificam fascini affectionem unquam potuisse coniectura consequi; tantum abest ut eius cognitio omnibus nota sit. Si enim particularem fascinantis uirtutis qualitatem medici scire possent; remedia quoque eiusmodi pestilentem uim destruentia non ignorarent: quod equidem fieri non uidemus, cùm nullum auxilium nisi diuinum, eiusmodi morbo laborantibus prodesse, quotidie experiamur. Adeò namq; dęmones tum insita ui, tum occulta externarum rerum adhibitione naturas inuertunt, elementa conturbant, qualitates commiscent, humores alterant, ac denique omnes corporis partes inficiunt, ut nulla interposita mora exitium interitusq; appareat, qualitas autem qua id paratum est, penitus ignoretur: sicut multa quæ in sacris litteris leguntur, & indies accidunt, testantur. Quæ uerò in 7. primi libri capite, de hac affectione adduximus, perinde intelligenda sunt, acsi fascinandi uis, natura hominibus inesset. Quod quàm à ratione abhorreat, inferius disseremus.

Medici fascinatis mederi nequeunt.

Dæmonū vis cuncta inficit.

Propter quid fascinum sit, iuxta ueram Theologorum sententiam. Cap. III.

CAusarū duo esse genera Aristoteles in libris de Phys. audit. nō semel protulit: efficiēs unū, instrumētale alterū. Vtriusq; cāæ natura ī fascino reperitur. Rursus effectiua cā duplex est: una remota, & ē homo ipse, qui uulgò ꝓxima cā falsò creditur; altera uerò ꝓpinqua,

Causarum duo genera.

Fascini cā effectiua duplex.

pinqua, & est dęmon. Causa autē quæ instrumenti uicem gerit, sunt res, quas uel dęmon perdēdis rebus adhibet, uel homo fascinandi actum exercens, collocat. Quando propter quid fascinum sit, quęritur, nō instrumenti, sed agentis gratia eiusmodi inuestigatio fit: non enim sua, sed efficientis uirtute instrumentū agit, quod quidem agens, cùm remotum unum, ut innuimus, proximum alterum de fascino dicatur; de utroq; propter quid sit statuendum est, iuxta doctrinam Philosophi in lib. Poster. hominem non propinquam, sed remotam fascini causam esse; in 6. cap. clarius fiet; cùm fascinandi uim natura homini nullam ineße ostēdemus. At ipsum ut tacitè uel expreßè dęmones inuocantē, communem eße causam facilè intelligemus; si aduerterimus quāta sit, post peccati lapsum humanę naturę imbecillitas, quàm lubricę carnis conditio, quàm facilis ad decipiendum, quàm fragilis ad resistendum, quàm ad malū prona, quàm ad bonum inepta, quàm ad caduca bona procliuis, quàm ad cęlestia tarda atque difficilis, quàm sui amans, quàm Dei rerumq; diuinarum negligens, ac demùm quàm multis ac uarijs cupiditatibus & affectibus obnoxia, & dęmonum deceptionibus exposita. Cumq; dęmonum conatus ad hoc tendant, ut homines à Deo auocent, atque à uirtutis, pietatis & charitatis studio deterreant, primùm omnium homines hominibus infensos & inimicos reddere studēt; quo fit ut nūc ob odium & maleuolentiam, sępè ob inuidiam & superbiam, aliquando ob auaritiam, interdum ob luxuriam ad fascinum iaculandum homines impellātur. Quo fascino intermedio, vel mortem fascinatis afferant, uel eosdem diuersis morborum generibus, aut calamitatibus

Natura humana post peccati lapsum quibus malis exposita ē.

Dæmonū conatus.

Homines quare ad fascinādum impellantur.

bus

bus & grauibus iacturis afficiant: & veluti Rhetores affirmant, summā artis in dicendo eße, ne ars esse uideatur: ita summus dæmonum astus est, ne eorum astus cognoscatur, neve fascinandi & inficiēdi uis ab ipsis oriri ac proficisci intelligatur; sed homines sibijpsis eandem perdendi uim inesse putent & credant. Propter quid uerò dæmones fascinum & iaculentur & machinētur, haud multis uerbis ad explicandum est opus: quoniam cùm dæmones à cælesti domicilio, in quo fuerant creati, in horrendum chaos, propter eorum superbiæ scelus præcipitati fuerint, eorumq; sedes dilectis hominibus qui in terra geniti sunt, dominus instaurare constituerit; partim odio aduersus Deum incensi, partim inuidia humanæ dignitatis affecti, cùm Deo obeße nequeāt, totam furoris rabiem contra homines conuertunt; iuxta id quod in Apoc.12.ca.legitur, Væ terræ & mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam. Quocirca vt improbam nocendi uoluntatem & cupiditatē celent, sub recti specie nos decipere semper nituntur: Cùm enim hominum uoluntas naturæ quadam propensione in bonum feratur (nam Arist. teste ingenijs nostris sunt semina innata uirtutum) neq; quidquam nisi sub ratione boni amplecti poßit, uirtutis autem & honestatis bonum, principem inter omnia bona locum teneat; hac ipsa honestatis specie laqueos tegūt, vt his artibus uel technis parū prospiciētes homines decipiāt. Et quia unicuique bonum uidetur, ut suam expleat uoluntatem, hinc est, ut D. Bernardus in Sermonibus ait, ꝙ dæmones omnium discutiunt consuetudines, ventilant curas, scrutantur affectus, & ibi causas quærunt nocēdi, ubi nos studiosius uiderint occupari. Vtq; quod homi-

Astutia dæmonum.

Voluntas nostra ad bonum natura propēsa.

Dæmones qua in re fallere nos quęrunt.

hominum libidini arridet, facilè perfici posset, fascinū dæmones inuenerunt; quo quibuscunque homines vellent, quodlibet mali genus inferre possent. Ob inuidiam igitur qua dæmones hominum genus prosequuntur, & ob rabiem & furorem quo in Deum frustrà incitātur, fascinum perficiunt ac faciunt.

De ueris fascini speciebus. Cap. IIII.

SI speciei nomine naturam quandam communem Philosophi intelligunt, sicut certè est, quæ pro suæ naturæ ratione de multis sub se singularibus potestate quadam verè & reipsa cum sui supremi generis participatione dicitur; profectò non duæ aut tres, sed plures fascini species erunt. Et eò magis si à rebus nostræ uoluntati oblatis species interdum nomen mutuari contingat; vt nunc in re nostra accidit, cùm non pauca nobis offerantur, quæ fascini naturam habēt, ac de multis infra se contentis dicuntur. Et quanuis amor in unione & coniunctione quadam, odium uerò in repugnantia reperiatur, atque omnia quæ nostræ uoluntati offeruntur amplecti uideantur, tamen plura sunt quæ amoris & odij nonnihil sapiunt, naturam uerò ab eis longè diuersam habere uidentur; & ideò non amor & odium fascini species solùm dicuntur, ut in 1. lib. dictum est. Et ne sermonem de hac re longius protraham, sed paucis difficultatem hanc absoluam, notatu dignum existimo, fascinum esse speciem subalternam, quæ sub magia tanquam sub suo supremo genere continetur. Et quia species subalterna, genus quoque dicitur, quod per aliquā differentiam internam diuiditur, hinc est, ut per qualitatem perniciosam ueluti per suam differentiam fascinum

Amor & odium omnia nostræ voluntatis obiecta nō complectūtur.

Fascinum per quam differentiã diuidatur.

num diuidatur; ex qua quidem diuisione cæteræ fascini species, per accessionem rei oblatæ constituantur & componantur. Siquidem fascini species non perinde se habent, ac species quæ à natura ortum habent, quarum differentiæ specierum singularibus de quibus species ipsæ dicuntur, innascuntur, uerùm nunc à fine, nunc à re oblata differentiam sumunt. A fine quidem fascinum speciem adipiscitur, dum à fascinatore concipitur, antequàm in actum exeat: ab oblatis uerò rebus, quando fascinum in aliquam rem eiaculatum est, quo fit ut alia fascini species sit illa, quæ ob inuidiam iacitur, alia quæ luxuriæ gratia exercetur: alia quæ ob adulterium; alia quæ ob stuprum, aut auaritiam infligitur: sic diuersa fascini species contrahitur, si furti causa fit, q̃ si ob odium & maleuolentiam iaciatur. Præterea affirmare non uereor, si ob multiplices fines fascinum fieri usu ueniat, multarum quoque specierum rationem & naturam unum atque idem fascinum habere poße. Vt exempli causa, si quis fascinum iaculetur, ut mulieris matrimonio copulatæ amorem sibi alliciat, eamq; deinde neci tradat, non unius, sed duarum specierum naturam fascinum habebit. Insuper non à fine, aut à re oblata duntaxat, sed à loco & à fascinatore, fascinum speciem aßumere assero. Non enim ad eandem speciem fascinum pertinet, si à uiro sacris initiato, aut à prophano, in templo aut in foro iaculetur. Et inde fit ut fascinum simplex. duplex, triplex, & multiplex interdũ appelletur, pro finium multiplicitate, aut rei oblatæ, aut personæ, aut loci qualitate & natura. Qua de causa ignorandum non est, ꝙ à deformiori effectu, siue potius defectu, fascinum nomen & speciẽ mutuatur: atq;

Fascini species multæ

Fascinum idem multarum specierum naturam habet.

huc

huc illud Arist. 5. Eth respicit quando ait, Qui furto operam dat, ut adulterium committat, magis est adulter quàm fur, etsi utrumque amplectatur, & in se claudat; adulterium tamen grauius, & turpius crimen quàm furtum censetur.

Quo pacto nonnulli sese fascinare quæant. Capit. V.

Q*Votiescunque aliquid præter naturæ ordinem fieri contingit, cùm nihil absque causa euenire certum sit; illico eius rei causam rimari, & vndique perscrutari placet: idque sine alicuius scientiæ principijs nos assecuturos fore non speramus. Hinc est, ut cùm nonnulli sese fascinasse legantur, non mediocrem omnibus admirationem afferat: cuius rei rationē cùm à naturæ principijs habere nequeamus, (tum quia naturæ ipsi repugnat, tum etiam quia Deū naturæ auctorem fascinantem potestatem alicui indidisse dedecuisset, ut in sequenti cap. patebit) ipse in hac sicut in cæteris dubitationibus ad Theologiæ auxilium confugiendum duxi, in qua tanquam in uberrimo, perennissimo, & clarissimo fonte omnium difficultatum sitis extinguitur. Ex hac igitur omnium scientiarum Regina habemus; quòd quemadmodum ubi olim, ob inobedientiæ crimen, spiritus Domini Saulem reliquit, confestim spiritus malus eum inuasit: ita cùm quis in lethale crimen lapsus est, ex templo à spiritu Dei relinquitur, & à Dęmonibus inuaditur: Qui dæmones non alio funguntur officio, non alij curæ alijve negotio intenti sunt, nulli operi dies noctesq; peruigiles incumbunt;*

Causas sine scientię principijs non assequimur.

Theologia sciētiarum Regina.

bunt; nisi ut diuersa cupiditatum malarum irritamenta hominibus parēt, quibus ipsos laqueis, retibusque suis implicent. Non enim capitales humani generis hostes latet, quòd sicut concupiscendi appetitus, propter primorum parentum peccatum, praui desiderij vulnere sauciatus fuit; sic rationalis voluntas cæcitatis tenebras contraxit. Quæ seruitutis lex lethalium criminum accessione grauior fit, ac durior. Quam enim seruitutem originis peccatum peperit: actuale lactat, nutrit, & roborat. Huiusmodi enim peccatis non modo cœlestia, atque gratuita bona amittuntur; sed naturalia etiā, nempe ratio, & arbitrij libertas grauiter, ut diximus, sauciantur. Vt enim peccatum mentem & rationem obscurat, quanuis non extinguat: ita uoluntatis libertatem minuit, licet non penitus adimat, quibus peccati uinculis, si praua peccandi consuetudo accedat, seruitutem auget, & ueram libertatē minuit; hominesq́; à uero Dei cultu, ad dæmones colendos trahit, & ad corruptibilia, & infructuosa bona concupiscenda cogit. At uera religione, & pietate ita extincta, nō fascinum duntaxat in homine reperitur; sed omniū flagitiorum genera in eo abūdare existimo. vt enim Sapiens ait, Infandorum idolorum cultura, totius mali causa est, & initium, & finis. Extincta namque ueri numinis cognitione, mens humana cæcis quibusdam tenebris obfunditur, paulatimq́; dignitatis suæ obliuiscitur: ita vt nihil aliud cernat, nihil amet, nihil expetat, nisi quod ad corporis usum, & uoluptatem referatur. Corporis itaque cupiditati addicta, illi tantùm ministrat, illi seruit: & omnia uitæ consilia ad illius obsequium conferenda putat. Verū cùm religio scelere suscepta scelus augeat

Primorum parentum lapsu ratio hebetata fuit.

Originale peccatum ab actuali nutritur.

Peccatū voluntatis libertatem minuit.

Pietate cōtempta mala omnia regnant.

& amplificet, neceße est tandem pudorem extermina-ri, leges, atque iura perfringi, humanitatem ſepeliri, ra-tionem obſcurari, omnia tenebris circumfundi, ſolamq; in terris terram & impuram libidinem, cum omnium rerum humanarum vastitate dominari. Quo facto, ani-mus hominis, tot tantisq; monstris obſeſſus, quid mi-rum est, ſi totum hominem ipſum faſcinat, curis tri-stißimis intabeſcere, & miſeram vitam in cruciatibus conſumere facit, & tandem in ſempiternum exitium præcipitat? hinc alij vlulant, canumq; more latrant; alij ſibilant, ac dentibus strident, nonnulli clamores edunt horrendos, atque intentius uociferantur: non deſunt qui prorſus obmuteſcant, cerebro oppleto denſis humo ribus, occluſisq; reſpirandi fistulis. Hac igitur via, qui-cunque ſeſe faſcinaſſe leguntur, fieri potuit ut faſcini labem contraxerint, non ex reciproca in ſe ipſos faſcina-tione, aut ex opinione, aut ex mala corporis qualitate: nec aliam huiuſce faſcini cauſam inuenire, aut excogi-tare potui. Quicunque igitur ſeſe faſcinaße leguntur, hoc pacto id facere potuiße reor.

Nemo ad faſcinandum idoneus natura naſci-tur, ſed Dæmonum ope huiuſmodi vis ho-minibus ineſt. Cap. VI.

QVamquam in uniuerſis animantibus, miram ac propè incredibilem naturæ ſolertiã & uidemus, & contemplamur: tamen in hominis compagine mira-biliorem, atq; incredibiliorem eã perſpicimus. Namq; nulli animantium præterquam homini ad ſui corporis defenſionem aliqua pro armis instrumẽta largita natu-ra non est; taurũ enim cornibus muniuit, aprũ dẽtibus,

da-

damam, & ceruum cursus uelocitate, ueneno serpētem armauit: at homini, qui diuinus est, nihil horum, sed rationem ad omnia sibi necessaria parāda dedit: cum qua internos & externos sensus uniuersa cognoscentes copulauit. Quo fit ut sicut is non cornibus, ut taurus, non dentibus, ut aper, non cursu, ut dama, & ceruus insignitus est: ita non uenenum, ut serpens à natura habeat. Et quemadmodum si in manibus cornua, aut quid simile ei natura concreasset, ipsis ad sibi necessaria paranda vti non posset; sic si uenenum uel fascinandi uim ei natura tribuißet, consuetudinem, familiaritatem, comitatem, ac lenitatem cum cæteris hominibus habere nequiret; & perinde homini eueniret, atque uiperis, quæ quia innatum uenenum reliquis animantibus cōtrarium, & lethale habent, cum illis conuenire, ac uiuere non possunt. Præterea, sicuti natura superfluū duxit, hominem armis munire, ut pote cui ingenium rationemq; inseuit ea excogitandi, parandi, ac tractandi; ita pariter frustratorium censuit homini uenenum indere, ut cui alienis omnibus uenenis utēdi potestas sit. Natura autem nihil frustrà, otiosumve vnquam agere uisa est, quippe quæ non minus sollicita est, ne qua in re deficiat, quàm ne superfluum aliquid efficiat: quòd si uirulentam proprietatem homini indidisset, cùm ipse omnibus uenenorum generibus uti possit, ociosè natura id egiße uideretur. Accedit etiam, quòd omnia pro uniuscuiusque speciei natura affectionem quandam habēt, quæ in singulis eius indiuiduis reperitur, uerùm in singulis quibusque humanæ speciei indiuiduis fascinandi affectio non est, ut clarè experimur: non ergo natura homini eiusmodi inficiendi potestas inest. Vsu etenim uenire solet,

Homini soli ratio data.

Homo. veneno caret.

Natura nil frustra agit.

ſolet, ut alicuius naturæ affectio efficacior in uno, quã in alio eiuſdem naturæ indiuiduo inueniatur: Veluti diſciplinæ habilitas ad humanã naturam ſe habet, cuius naturæ ſuppoſitum nullum extat, in quo eiuſmodi affectionis aliquæ ſcintillæ non reluceant: quod quidem de faſcinandi vi aſſerere non poſſumus: cùm maior hominum pars, tantum abeſt vt per faſcinum quæpiam efficere queat, vt ne faſcinationi quidem habendam eſſe fidem arbitretur; id vulgarium hominum, aut impoſtorum meras nugas cenſendo. Nam quanuis pro regionis temperie, genere ac educatione homines ſolertiores, agreſtiores, et mitiores eſſe ſoleant, proprietatem tamen naturam conſequentem omnes eandem habẽt, alius alio ex accidente promptiorem & viuaciorem: quod quidem de omnibus hominibus ratione faſcini dicere non poſſumus. Minimeq; in illorũ Philoſophorũ ſententiam diſcedendum vnquã putaui, qui naturã brutorum animaliũ matrem, hominis verò nouercã eſſe dixerunt; quoniã cętera animalia veſtita, et cooperta hęc pilis & pellibus, illa plumis naſcãtur: hominem verò, quaſi rẽ vilem, nudum, flentem, omniumq; rerũ egentẽ ſimul pepererit, & expoſuerit. Illa, natura duce herbas ac reliqua ſaluti neceſſaria cognoſcdnt: hic ignarus, ac ſimplex, tanquã tabula raſa, in qua nihil ſit depictũ, vt Ariſt. ait, per tot annos omnis actionis eſt expers. Illa, nũquã aut rarò ægrotant: hic uerò ſalutem integram nũquam habet, & à minima quauis re offenditur, ac interimitur: vt Poeta Anacreon, q vuę paſſæ grano, & Fabius Senator ac Prætor, q pilo in lacte abſorpto vitã cum morte commutauit, ut Plin. lib. 7 c. 7. refert. Si quidẽ Deus hominẽ immortalem ad ſuam

Hominis ingenium ex patria & educatio:e cenſeri.

Natura homini non eſt nouerca.

Fabii & Anacreontis prodigioſis interitus.

imaginem, & similitudinem finxit, eumque omnis mali, ac miseriarum expertē incredibili sapientia ornauit, in loco omnium deliciarum pleno collocauit, omnium animantium dominū constituit, ad Deum contemplādum habilem, & idoneum fecit. quapropter ad ipsius Dei clementiam, sapientiam, & iustitiam pertinebat, vt is q ad sui ipsius archetypū effingeretur, cæteris animantibus multò præstaret. à summa namq; clemētia, sapiētia & iustitia, sūma pulchritudo oriri debet. Quocirca D. Aug. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 26. inquit, Viuebat itaque homo in paradiso sicut volebat, quandiu hoc volebat, qđ Deus iusserat, bonus viuebat fruens Deo, ex quo bono, bonus erat, viuebat sine vlla egestate, ita semper viuere in potestate habens, cibus aderat ne esuriret, potus ne sitiret, lignum vitæ, ne illum senecta dissolueret, nihil corruptionis in corpore, nihil ex corpore vllas molestias vllis eius sensibus ingerebat, nullus internus morbus, nullus ictus metuebatur externus. Nō itaque Deus, sed homo ipse sui interitus & calamitatū causa fuit; vt Sapientiæ primo legitur: Deus mortem non fecit, sed impij manibus & verbis accersierunt illam. non enim eo modo Deus homines, sicut Angelos condidit, vt etiamsi peccassent, mori omnino non possent. Vnde natura humana actu tantùm immortalis erat, nam potestate quadam in mortem cadere poterat, sicut cecidit, qđ ex ipsius Dei verbis in Genesi expressis colligimus: Quacunque die comederis ex eo, morte morieris; id est morti adstrictus eris, vel, moriendi necessitatē incurres: quasi Deus diceret, etsi nunc te immortalitatis actu donaui, tamen si à me per inobedientiam descineris, potestas quam ad mortē in manu tua habes,

Homo ad Dei imaginem creatus est.

Hominis fœlicitas ante lapsū.

Homo sui ipsius interitus causa.

Geneseos locus explanatus.

habes, necessitas fiet. Cui sententiæ illud Aug. de Ciuit. Dei lib. 12. cap. 21. non aduersatur, ita dicentis, Homo cuius naturam quodammodo mediam inter Angelos, bestiasque condebat, si creatori suo, tamquam vero domino subditus, præceptum eius pia obedientia custodiret, in consortium transiret Angelicum sine morte media, beatam immortalitatem sine vllo termino consecuturus. Si autem dominum Deum suum libera voluntate superbè atque inobedienter vsus offenderet, morti addictus bestialiter viueret, libidinis seruus, æterno post mortem supplicio destinatus. Quapropter inter Christicolas, verè Catholicam fidem tenentes, constat, miserias in quibus nunc homo est, atque ipsam nobis corporis mortem non naturę lege, qua nullam mortem Deus homini fecit: sed merito inflictam esse peccati; nam Deus peccatum puniens, homini, in quo tunc omnes tanquam in radice eramus, dixit, Terra es, & in terram ibis. Ex quo quidem peccato tantus rerum futilium & exitialium amor emanauit, tot mordaces curæ, tot perturbationes, mærores, formidines, insana gaudia, discordię, lites, bella, insidiæ, iræ, inimicitiæ, fallaciæ, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, inuidentia, homicidia, crudelitas, sæuitia, luxuria, petulantia, impudentia, hæreses, periuria, falsa testimonia, iniqua iudicia; denique quidquid eiusmodi malorũ humanam naturam aggreditur, ab illa erroris, & insani amoris radice egreditur. At si non peccasset, sed Deo paruisset, vnicuiq; ab omni malorũ genere immuni, viuẽdi tẽpus super terrã statutũ fuisset, quo absoluto, vitæq; ligno gustato, natura cõfirmata fuisset, ac post lõgũ tãdẽ æuũ oẽs in Cælo immortalitate donati essem⁹.

D. August. de homine recẽs creato.

Mors pœna peccati.

Mala oĩa ex originis peccato fluxerunt.

Quales liberi, si homo nō peccasset, nati fuissent.

Quales uerò liberi, si primi parentes mali nihil commisissent, in lucem ederentur, D. Aug. de ciu. Dei, lib. 13. cap. 3. & de baptismo paruulorum, dubium mouet, sed non absoluit: nonnulli uerò paruulos in lucem editos iri censent, non hac totius corporis imbecillitate, sed robustos statim futuros, & (sicut agnos, & pullos gallinaceos uidemus cōfestim ingreßuros, secutosque matrē, nec confestim, sed temporis successu) ad perfectam ætatem peruenturos Quamobrem ab animis Christiana religione imbutis opinio illa penitus remouenda est qua bruta, ob nonnullas corporis dotes, homine meliora esse existimantur. Nam post Mercurium Trismegistū, D. Aug. lib. 10. de ciuit. Dei, cap. 12. hominem naturæ miraculum appellat. et Pli. Hominis, inquit, causa cuncta uidetur genuisse natura. et Arist. eum omnium finem uocat. Et in Psal. Gloria & honore coronasti eū, & cōstituisti eū super opera manuum tuarum. omnia subiecisti sub pedibus eius: ac demum idem qui suprà Philosophus nobilißimū, & altißimū animal hominē esse ait. quippe cui eam Deus animam dedit, qua per rationem, atque intelligentiam omnibus animantibus esset præstantior. Et sicut his omnibus ratiocinando & intelligendo nobiliores sumus, ita bene atque honestè uiuendo meliores esse debemus. Ob id enim diuina prouidentia eis, quibus nos constat eße potiores, quædam munera data sunt potiora: vt nos doceret, illud quo eis antecellimus, longè maiore cura nobis excolendum eße, quàm corpus: ipsamque corporeā excellentiā, quā bruta habere nosceremus, ꝓ vitę bonitate, qua illis anteponimur, cōtemnere disceremus; habituri & nos corporum immortalitatē, non quā suppliciorū

Homo naturæ miraculum.

Præmia bene honesteque uiuentium.

æter-

æternitas torqueat, sed quam animorũ puritas per Dei gratiam poßideat. In ipso etiam corpore, quod nobis per peccatum cum belluis mortalitate commune est, multisq́; earum debilius reperitur, quãta Dei bonitas, quanta prouidentia apparet? Nonne ita sunt in eo sensus ac cætera membra disposita, speciesq́; ipsa ac figura ita ordinata, ut ad animę rationalis ministeriũ omnia esse facta existimes? Non .n. ut animalia rationis expertia in terram prona uidemus, ita factus est homo; sed erecta in cælũ corporis forma admonet, eũ non huic mundo corruptioni obnoxio, sed cælesti patrię ac gloriæ esse destinatum. Et dum in hac uita cum brutis homo degit, qua subtilitate sapientiam haurit? uirtutibus imbuitur quibus aduersus errores armatus, omnia uitia superat, omnes deformitates ac turpitudines, cælestis & summi boni desiderio uincit. Solus .n. ipse, inter reliqua omnia animalia post oblatam sibi imaginationem de re aliqua, tanquam agenda, potest quærere de ipsa, assentirine rei debeat, annon. Cætera uerò animalia, oblatis sibi rebus, necessitate quadam impulsa assentiuntur, ut bene Alexander in 2. de Anima, c. 46. disertißimè ostẽdit. Et sicut aereę uolucres nobis qui terrestres sumus, non modò non prę feruntur; verumetiam ob animę rationalis dignitatem, quę nobis inest, subijciuntur: ita bruta quamuis corporum perfectionibus præcellant, longè nobis deteriora sunt; quia ueluti natura sentiendi ui prædita, etiamsi dolore crucietur, melior, ac præstãtior est, quàm lapis, qui nullo modo dolere potest: ita homo etiam in miserijs & calamitatibus ac in Dei odio constitutus, præclarior est, quàm illa natura quæ rationis est expers. Nec quia ęquales esse non possumus aquilis

Discrimina ĩter homines & belluas.

Hominis præstantia.

videndo, canibus odorando, ceruis currendo, elephantis portando, leonibus certando, serpentibus diu viuendo, qui deposita tunica, senectutem deponere & reiuuenescere perhibentur; idcirco ab illis naturæ nobilitate ac dignitate nos superari asserendum est; quoniam licet homo homini (ut in prouerbio est) lupus sit, & plures ex hominibus hominũ impetu, quàm omni reliqua calamitate deleantur; cętera verò animantia vnaquæque suo generi non sint infesta, cæteris inimica leonum feritas inter se non dimicet, serpentum morsus serpẽtes non petat, ne maris quidem bellue, ac pisces nisi in diuersa genera sæuiant; nihilominus ob vnicam tantùm rationalis animæ scintillam, nullum animalium cũ ipso homine quantumuis imperito & improbo comparandum est. Sed ne susceptam prouinciam excedere, & lumen lumini addere videamur, eò vnde nostra discessit oratio, redeamus. Nam postquàm per corporis sensus, vt suprà ostendimus, fascinum iaculari nemo potest, ridiculum est asserere, fascinãdi vim hominibus innasci. Siquidem id nobis innascitur, sine quo aliquid eorum quæ nobis insunt, esse non potest, vt videre sine oculis, & ideò cùm visus sit natura, ipsi quoque oculi natura erunt, & demùm omnia sensoria natura insunt, quia eorum actiones nobis innascuntur; sed fascinum destruit naturam, igitur natura non est, quoniam natura in ea re intenta semper videtur esse, vt vnumquodque sibi simile conseruet ac procreet; quò saltem in ipsis singularibus atque indiuiduis specierum perpetuitas propagetur. At si homini fascinãdi uis à natura tributa esset, non eius conseruationi sed destructioni prospexisset; quod de homine omnium animaliũ præstãtißimo creden-

Serpentes quõ repubescant.

Homo homini lupus

Fascinum natura nõ est.

den-

dendum non est. Non igitur ex natura ortę, sed ab homine, auctore diabolo, fascinationes superstitiosæ sunt: quas quia verus Philosophus irridet, & Catholicus Theologus damnat, è medio funditus tollendas assero. Et quanuis homines reperiantur, qui neminem ament; quod in gustu etiam accidit, in quo temperamenta quædam inueniuntur, quibus edulia ferè omnia stomachum mouent, & sicut in his praua quædam constitutio est linguę, & stomachi longè diuersa ab ea, quæ ut plurimum fieri à natura solet, ita inter homines censendum est: in quibusdam alienissimam ab eo, quod ut plurimum est, constitutionem esse humorum, per quos aliquos odio habent; tamen ab omni naturæ lege abhorret, ut per eiusdem odij uires nulla re alia adhibita, quenquam interficere queant. Et cum Hugone de sancto Victore, in libr. de Sacramentis, tres humanæ naturæ status designare possumus. Primus est naturæ à Deo in illa prima bonitate ac tranquillitate procreatæ: Secundus est naturę in ultima fælicitate collocatæ, à quibus certè etsi diuersa ratione, omnis tamen mali suspicio remouenda est: Tertius status humanæ naturę in peccatum lapsæ adscribitur; in quo licet nulli hominum, ut ostensum est, fascinandi uis innascatur: tamen ob propensionem, quam ad peccatum habet, & ob diaboli deceptionem, ut sæpè diximus, ea dæmonum ope perficere homo potest, quæ omnes, quia eorum causas ignorant, per fascinum perpetrata esse existimant. Quando autem contra hoc obijcitur, de Psyllis (Plinio teste) & de multis alijs, quorum corporibus uirus serpentibus exitiale ingenitum fuit, & sic de

Diabolus autor fascini.

Naturæ humanæ status triplex.

multis alijs proprietatibus homines cõcomitari solitis; dicimus huiusmodi affectiones, nullo pacto à natura hominibus innasci, sed aut diuina uirtute cõmunicari, aut humana industria acquiri, uel dæmonũ auxilio exerceri. Quòd uerò asseritur, Regi Galliæ hæreditariũ inesse uirtutẽ, ut quoscunq; strumis laborantes tetigerit, sanos reddat, non eo intelligendũ est modo, ut uulgò existimant, quasi naturæ proprietate, & non singulari Dei munere salubrẽ illã gratiã Rex habeat, & hoc inde conspicitur, quia antequàm ad ęgrotos tangẽdos accedat, ieiunijs, uigilijs, eleemosynis, & pijs precibus se munit.

Regis Galliæ uirtus in strumas vnde.

De ueris fascinantium qualitatibus & cautionibus. Cap. VII.

IN omnium Philosophorum ore sententia illa est, quòd qui claris & manifestis rebus fidem non habet, sensu caret; qui de dubijs repentè iudicat, temeritatis labem incurrit; qui dubitandi gratia de ijs quæ nota sunt, dubia mouet, illorum in numero collocandus est, qui non scientis sed dubitationibus & sophisticis delectatur, qui ob dubiorum obscuritatem, & ingenij hebetudinem, non modò de apertis & perspicuis dubitat, sed ea confutare & reijcere audet, rationis est expers. Ne igitur in huiuscemodi uitiorum notam inciderem; diu anceps animus meus fuit, an fascinantium cautiones huc afferre deberem: tandem ardens meum benefaciendi desiderium, omnem carpentium ac maledicentium suspicionem superauit, atque ad huius rei narrationem me impulit. Verùm quia dæmones & homines, ut diximus, ad fascinandum conueniunt,

Qui claris rebus fidẽ non habet sensu caret.

ueniunt, vtrorumque cautiones recensendas duxi: & primùm de dæmonibus, deinde verò de hominibus paucis expediam.

De cõibus dæmonum fascinantiũ cautionibus.

Contra puritati ac sanctitati inseruientes, uniuersam dæmonum aciem in plures ordines ad aggrediendum distribuunt. Dæmonũ vafrities in fascinãdo, eorumque cautiones.

Contra homines baptismate initiatos, & mundanis rebus procliues vnicuique unum uel plures dæmones ad seducendum destinant.

Contra medio modo se gerentes, uisa opportunitate illorum affectum scrutantur, & pro vniuscuiusque animi propensione, eos ad scelera alliciunt.

Contra impios & scelestos dæmonibus ab ortu subiectos nihil laboris assumunt, sed eos quasi uinculis ligatos tenent, ac pro mercede, eorum uoluntati fascinandi & malè agendi potestatem subministrant.

Contra Dei rebelles, qui spretis sacramentis à fide discedentes dæmonibus sese dediderũt, nihil moliuntur, sed ueluti fascinatos in erroribus, & cæcitatis tenebris illos habere uidentur, eisq; ad malefaciendum & nocendum ad nutum obtemperant.

Contra uulgares ac rudes homines fidem ex eorum cordibus extirpare nituntur, singulis dæmonem aut demones deputantes.

Contra charitate incensos & inflammatos, proximi odium & contemptum suadent.

Contra Dei honorem & amorem, illius dedecus & infamiam proponunt.

Contra Ecclesiam communem omnium matrem Christum

stum eius sponsum penitus tollere, vel contumeliis afficere docent.

Cōtra uiros probos pro improbis deprecātes, illos floccifaciendos, nullamq; fidē eis adhibendā inculcant.

Contra Dei verbū exponētes immane odiū cōcitant, & probris, contumeliisq; afficiendos illos stimulant.

Contra concionem ipsam, diuersis curis & conscientiæ stimulis homines distrahendo, illam vt nihili faciāt satagunt.

Contra paupertatem profitentes aut patiētes, ad impatientiam & desperationem inducunt, vel ingentes diuitias, modò sibi obsequantur, promittunt.

Contra diuina sacra facientes, non Deo sed sibi ea offerenda esse suadent.

Contra sacramenta suscipientes, vel ministrantes, varia superstitione, aut præposterè, aut aliarum rerum permistione ministrare ostendunt, nec à Deo sed ab illis virtutem habere tenendum esse iubent.

Contra Ecclesiæ ceremonias, contemptum proponunt.

Contra verum Deum vniuersarum rerum Dominum, capitale odium habendum & iurandum curant, sibiq; præcipua munera ac dona tanquam legitimis dominis offerenda esse suggerunt.

Et tandem contra castitatem virginalem, maritalem, & vidualem omnes luxuriæ turpes & nefandos modos, licitè exerceri posse asseuerant.

Quibus cautionibus dæmonum suasu ab hominibus cōpletis, alias dęmones addūt, scilicet:

P*Ro homine fascinando atque ad interitum vel ad morbum pertrahēdo, innatam vim dæmones exercent,*

cēt, aut res perniciosas eiusmodi exitio idoneas adhibent, vbi eorū insita vis ad id se extēdere nequit.

Pro pueris fascinandis, virulentam quandam auram duntaxat ex loco in quo cubant, excitant, eamq; in pueros immittunt, & ita eos macrescere, languere, cibum euomere & perire faciunt.

Pro pecoribus lacte priuādis noxias herbas seu frutices comedere faciūt, aut innatas vires depromunt, quibus non lac solùm, sed vitam quoq; eis adimunt.

Pro uini & messium penuria, humorem vtilem remouent, cuius indigentia ad debitam maturitatem sata & vuæ peruenire non possunt.

Pro fascinādis hominibus, ut uerū non intelligant, sed in errore, vt hæretici, persistāt, voluntatē nō per se, sed ex accidenti & indirectè mouendo, & persuasionibus incitando, & passiones concitando, immutāt.

Pro concitādo homine ad iram & vindictam per spiritum motum, in quibus sunt phantasmata, in imaginatricē vim aliqua uisa reducere poßunt, eaq; irascibilē potestatē vehemētissimè internè mouēdo, irarū, odij atq; uindictæ stimulis excādescentibus lineata, ad quoduis scelus hoīes disponunt, ac ferè præcipitant, quo fit ut intellectū ad iudicandū, & nolentem ad volendum per hasce alterationes adigant.

Pro concitatione ad libidinem, res externas Venerem excitantes vnicuique mira vafritie latēter adhibere norunt, ueluti etiam cōcupiscendi potestatem inflammare solent, aut humores commouendo, aut illius simulacrum ad imaginandi actum semper reuocantes, & quasi ob oculos obuersari facientes, cuius amore homines teneri dæmones non ignorant.

Pro

Pro vxoris & mariti odio commouendo, imaginandi vim turbant, vt mulier exosa reddatur, vel ipsa maritum exosum & molestum habeat.

Pro generandi vi impedienda, membri rigorem tollunt, sicut motum localem vniuscuiusque organi impediunt, aut spirituum emissiones ad membra prohibent, in quibus est vis motrix; & ideò quasi seminis vias intercludunt, ne ad generationis uasa descēdat, neve emittatur.

Pro serpentibus, tauris, equis, aut quibuscunque animalibus sistendis, vel in terram deijciendis, parum aut nihil laborant, quia eis omnia corpora obediūt; quocirca dæmones in eiusmodi animalia ingressi prō voluntate de eis determinant, nisi diuina virtus contra eos se opponat.

Pro muribus, locustis, & alijs nociuis animalibus ab agris pellendis, aut ijsdem in eos immittendis sola dæmonum vis sufficit; primùm, quia huiuscemodi animalia dæmonibus non repugnant: secundò, quia actiua cum passiuis commiscendo, ea procreare possunt.

Pro pluuia, grandine, niue, fulgure efficiendo, eadem indita dæmonum vis satis est: vapores enim ad id necessarios admiscere & sciunt & possunt.

Pro aspectabili præsentia vniuscuiusq; aut absentis aut vita functi, ex vaporibus aqueis, terreis, aut ex aere corpora fingunt, & quibusuis similia reddunt in quæ dæmones ingressi, viuentiū actiones fingunt.

Qualitates hominū fascino patrādo aptæ.

Hominum verò qualitates, quibus habiles ad fascinandum redduntur, duobus modis considerari possunt. Siquidē fascinandi vim, aut ipsimet à dæmonibus habuerūt, aut veluti hæreditario iure à suis maiorib. traditā acce-

acceperunt. Si primùm solennes ceremoniæ adhibitæ fuerunt, ut fidei Christianæ abdicatio, nostri quoq; Saluatoris Iesu Christi, eiusq; beatæ Virginis matris, atq; Ecclesiæ Catholicæ, omniũq; sanctorum odiũ, & præcipuus contemptus, cum conditione ac lege ipsis litãdi, sacrum faciendi, munera offerẽdi, & uerorũ dominorum loco ipsos habendi, aliasq; superstitiones commiscent, quas dæmonum asseclæ non ignorant. At si filij & nepotes, & quicunque ab illis progeniti eandem uim habere comperiũtur, tacitè uel expreßè iuramento, ac fœderi per maiores dęmonibus præstito consenserunt, uel matres, nascẽtes infantes ea intentione dęmonibus consecrarunt. Quòd si per nefandum matris cum filio concubitum infantes nati sunt, parum aut nihil dæmones sollicitantur, an aliæ ceremoniæ interponantur. Et hinc est, ut per dæmonum ministerium pro initi fœderis signo, nonnulli fascinatores binas pupillas in oculis innatas, quidam in uno oculo geminam pupillam, in altero equi effigiem habebant, ut Dydimus inquit, Plinio referente. Dęmones enim tenelli embryonis carnem his & similibus lineamẽtis, & signis fingere et effigiare ut diximus, possunt. Vt autem dęmonum pactis ac promissis sese stare demonstrent, quotiescunque fascinare, aut quid simile patrare uolunt, opus est ut dęmones tacitè uel expreßè inuocent, uerba proferendo, quæ dęmonũ suasu dictata sunt: uel eadem scripta superstitiosè portando, aut nodos plicando, combinando, soluendo, in cœlum excreando, aut quid simile faciendo, pro promissorum dęmonibus præstitorum fide, ac pacto. His cautelis, & conditionibus, atque alijs, quas breuitatis causa prętermittimus, maiorem aut minorem uim, pro

Præcipua fascinantium ceremonia, est Christum abnegare.

Fascinãtiũ signa in oculis vnde.

Solemnia Dæmon. astrictorum.

maiori

maiori & minori earundem conditionum confidentia, exerceri credimus. Philosophi verò, qui hanc dęmonum calliditatem, & hunc philosophandi modum non intellexerunt, uarias de Fascini causis sententias protulerunt, & qualitates ab his longè diuersas fascinatoribus adscripserunt, ut primo libro uidere est.

Veræ qualitates ac dispositiones, ex quibus iuxta piorum hominum sententiam in fascini pestem inciditur. Cap. VIII.

Bona quæ ex malis p̃ Dęmones illatis oriũtur.

QVamuis ob mala per dęmones & illorum ministros, illata non mediocria bona oriantur; nam fides seruatur & roboratur; dęmonum fraudes deteguntur; & inspiciuntur; Dei misericordia & potestas aperitur, & manifestatur: homines ad cautiorem sui custodiam erudiuntur, & inflammantur: & denique ad Christi cruciatũ, & ecclesię ceremonias uenerãdum flectuntur atq; incitantur: nihilominus de fascinãdorũ rerũ qualitatibus locuturi, eas dũtaxat extremis, ut dicitur, digitis attingere decreuimus, per quas sua sponte causas homines præbẽt, ut fascino inficiãtur: & nõ eas, quibus Deus per malos angelos, mala in mortaliũ perniciẽ inferenda iubet, ob prauorum hominum pœnam, ob suam gloriam, ob Christianorum meritorum cumulũ, & ob uirtutis robur, si patiẽter, & summiße ea perferãt: id enim alterius, & nõ præsentis cõtemplationis munus est. Præcipuam causam, qua fascinamur, nullam aliam esse arbitror, quàm legis cõtemptũ, & cœlestium inobedientiã mandatorũ; ut cap. 10. patebit. Nã simul

Legis cultu contempo, Dei gratia amittitur.

atque

atque à legis cultu & obseruātia desistimus; à Dei gratia & Angeli custodia destituimur, & in dęmonū potestatē ac iura incidimus qui quidem dęmones circa nos, ueluti circa rē suæ potestati subiectam, tū in corpore, tū in rebus externis, quæ uolūt, efficiūt. Et hinc est, ut nōnunquam homines ac cætera animalia grauibus doloribus affici uideamus, mares gignēdi, fęminæ cōcipiendi, quidā coeundi ui ac potestate priuentur. Hinc etiam mulierū partus, animalium fœtus, terræ fruges, oues, boues, ac reliqua animalia pessum ire uideantur. Si enim dęmones tot donis & gratijs ornati tanquā fascinati in tot, tantaq́; sempiterna mala ob crimē in Deū commissum præcipitati fuerunt; quid nobis miseris fiet? qui atrocissimis, & grauissimis peccatis subijcimur; grauissimis inquā, uniuersitate, ut Adæ peccato: deformitate, ut proditionis Iudæ & similiū: cōdonādi difficultate, ut peccato in Spiritū sanctū: periculo, vt ignorātiæ: cōiunctione, ut cupiditatis: pronitate, ut carnis; diuini numinis læsione, ut idolatriæ; expugnandi difficultate, ut superbiæ: mentis cæcitate, ut iræ; alijsq́ue de causis, quas recēsere nimis longum ac prolixū eßet. Equidem uehementer miror, cùm uniuersum hominum genus in tot sceleribus immersum reperiatur, cur tam pauci fascino infecti reperiantur: sed hoc diuinæ clementiæ ac bonitati adscribendum est; quæ dęmones non pro uoluntate in nos sæuire patitur. Qui enim alienæ uxoris, aut cuiusuis fœdæ libidinis cupiditate tenetur, mirū nō est, si à sua per fascinum auertitur; aut gignēdi uirtute, aut prolis solatio priuatur. Quæ quidem mala hodie pijs, ac probis uiris dęmones inferre nō magnopere satagūt, sed nimis rarò ea de re eos infestāt: cū ipsi optimè calleāt,

Peccatorū grauiū differentiæ.

Ab vxore propria cur nonnulli auertātur.

Mala per Dęm. illata iustorū præmia augēt.

mala

mala ac damna iustis uiris illata, illorum merita atque præmia augere. Porro si quis in fide titubet, et de Ecclesiæ Catholicæ ritibus non bene sentiat, quo pacto à fascinationis ueneno securus erit? idque in causa esse arbitror, ut in multis partibus, et in Alemania præsertim mulieres tot monstra pariant. In quibus odia, dissidia, liuor, ambitio, superbia, auaritia, dominatur: qui fieri potest, ut ij à fascini peste cũ filijs & bonis liberi sint? Et qui prauam iurandi, detrahendi, maledicendi, maleprecandi, obloquendi, concupiscendi consuetudinem habent, à fascino sibi cauere non possunt. Quos autem belluarum more uictitare uidemus, nulla religione imbutos, nullo Dei timore attactos, nullis legibus astrictos, in omni intemperantiæ generæ profusos, sed ira, odio, temeritate, cupiditate, omnique praua libidine, & scelere cõtaminatos, ij idoneas appositasque partes habent, quibus fascinentur: quò uiuentes inferorum pœnas prægustare incipiant, ipsorum dęmonum cruciatibus, illusionibus, ac imposturis patentes. Fascino quoque amatorio ijsdem de causis inficiuntur: quibus si addatur uisus, linguæ, habitus, gestus, tactus, cæterarumq; turpium cogitationum & actuũ fomes, ij fascinari quidem non possunt, quia iam fascinati sunt. Huic quoque fascino obnoxiæ sunt eæ, quæ se lasciuas, garrulas, procaces, nugaces eße gestiunt, quod eò perniciosius est, si matrẽfamilias (quam tota familia in omni scelere imitari consueuit) ea uitia comitentur. Has ego qualitates illis ueriores eße puto, quas Primo lib. cap. 13. iuxta Philosophorũ sententiã retuli. Quòd si quis melancholico humore redundantes, in fascini casum procliuiores futuros esse arbitretur, eum non omnino malè sensiße

Mõstruorũ in Germania nascentiũ causa.

Melancholicus humor Dęmonib. aptus.

dicam;

dicam; cum huiusmodi enim humore dæmones facilè commiſcentur: q cùm amarus, triſtis, ac turbulẽtns ſit, locus dæmonum naturæ congruere iudicatur. Et perinde in humano corpore cor ſtrangulari uidetur ex dẽſis nebulis & humorum caligine, atque in cubiculo ſumo oppleto conniuæ ſuffocari uidentur, & oculorum iactu vam perpeti, in quod corpus ſic affectum ſi dæmon ingrediatur, luctuoſiſsimã tragœdiam excitabit. Et hinc eſt, ut per herbarum & aliarum rerum corporearũ applicationem ab humanis corporibus interdum expelli dicantur, quia humorem illum tetrum, ac triſtem adhibita ea conſumunt, quo conſumpto dæmones corpus relinquere ſolent: quanuis ueriſimilius putem, res illas ſi piè, ac deuotè adhibeantur, tanquam diuinæ iuſtitiæ inſtrumentum in dæmones agere, illosque ab humanis corporibus detrudere; vt de felle, & iecore piſcis Tobiæ, de herbæ radice Eleazari, ac de aliјs legimus. Alias verò corporis diſpoſitiones, quas citato libro adduximus, nullas, vanas, ridiculas, & superſtitionis refertas arbitramur.

Herbarum uis contra Dæmones.

Piſcis Tobiæ uis.

Per narratam faſcinandi uiam, dæmonum aſtu inuentam, homines ad amorem allici, & ad odium excitatari poſſunt.

Cap. IX.

EXperientia ipſa, quæ rerum magiſtra nuncupatur, comprobari cernimus, hominum alios natura triſtes eſſe, alios lætos: nonnullos magis, aut minus his affectibus pro corporis temperie affici: ij enim triſtiores creduntur eſſe, qui contrarijs reſiſtere minus poſſunt, lætaque obire non ſunt idonei: læti autem

Læti & triſtes qni.

existimãtur, qui tristibus et mœstis maximè resistere possunt, quiq́; ad læta aptissimi sunt, qua de causa unus ad amorẽ ac beneuolẽtiã, alius ad odium procliuis est. Hinc fit ut q̃ pauci caloris sunt, & exangues ac debiles et senes, ægri, conualescentes, parum resistere cõtrarijs poßint, ideoq́; plurimũ tristes sint. Illi quoq; qui melancholici natura sunt, & sanguinis amarioris, ac ſiccioris, ad res lætas parum idonei, atque habiles iudicãtur, easq́ue res si q̃s eis offerat, non ut lætas, & iocũdas, sed tãquã ingratas, tristes, et inimicas respuunt. Aliud p̃terea, ut suprà monuimus, animaduertẽdum est, phantasiam cum toto corpore, & præsertim cum corde pręcipuum consensum habere. Nulla enim interposita mora, sed mira quadam celeritate, quibus boni aut mali speciebus phantasia mouetur, ijsdem cor inficitur; nam magis quã credi potest, cor uocatis imaginationis spiritibus cõsentit, atque ijs uti famulis, sibiq́; deuinctis, & addictis ministris utitur. Quoniam sicut phantasia cum uniuersis sensibus intellectui seruit, ita intellectus cum alijs tum corporis tum animæ uiribus cordi ueluti regi obsequitur. Rursus prænotari oportet, ex humore melancholico fumos gigni, eosq́; ad phantasiam & ad cerebrum usque ascendere, unde accidit, ut ob intellectus perturbationem melancholici, & dormientes & uigilantes, res timoris & horroris plenas animo uoluant, & ij s non secus timeant, ac si graues calamitates, & excidia sibi imminere, uel euenisse certò sciant. Illud quoque notatu dignum censeo, quòd cum quouis humore in corpore concitato dęmones commisceri possunt, eosq́ue pro arbitrio incẽdere, & augere, sicq́; humores à dęmonibus cõmoueri et excitari cõsueuerũt.

Phantasiæ & cordis consensus.

Sensus intellectui seruiũt, intellectus cordi.

Melancholici humoris, effect⁹.

Nec

Nec est ignorandum, quòd gaudium totius animalis affectus ex alterato propter bonum in phantasia teceptũ existimatur, qua de re boni specie in phantasia recepta gaudium fit. Si uerò bonum et adest, et possidetur, simplex gaudiũ, & boni fructus appellatur: sin autẽ abest, nec possidetur, appetitus, id est, animi motus ad bonum non habitum prosequendũ dicitur. in gaudio duo considerantur, boni receptio, & eiusdem boni causa, siue res, quæ bonum illud efficit. Si enim anima, ut bonũ illud recipit & apprehẽdit, inspiciatur, absolutè, et simplici modo gaudere censetur: at si consideretur, ut causam respicit, quæ gaudium facit, cum gaudio amor coniunctus est. Ex quo amore desideriũ quoddã nascitur, quo rei bene esse cupimus; quam rem dum in nostrum commodum uertimus, libidinosus & prauus amor est. Et quemadmodum de gaudio & amore diximus, ita de tristitia & odio dicendum est. Tunc enim simplex tristitia uocatur, cùm animus sub recepta mali specie malè se habet, ac timet; omnes .n. ex aliquo malo timemus. Si malũ est præsens & lædit, tristitia uocatur; si futurũ immineat, timor ac pauor dicitur. Vnde nihil aliud est timor, nisi tristitia ex imminenti malo. Odiũ uerò nuncupatur cũ causam respicit, cui malè optamus: sic namque odium describi solet, desiderium quoddam esse, quo malè imprecamur causæ, à qua tristitia oritur. His prætactis, et ueluti huiusce materiæ principijs notatis, ad rem ipsam deueniendo asserimus, quòd licet dæmones libero hominum arbitrio uim inferre nequeant, minimeque nostram mentem contingere possint, ut hunc odio, & illum amore prosequamur (libertati enim in qua Deus hominẽ creauit, repugnat, iuxta illud

Gaudium quid.

Gaudij cõsideratio duplex.

Tristitia duplex.

Timor qd.

Odiũ quid.

Liberum hominis

Eccles.7. Deus ab initio constituit hominẽ, & reliquit illum in manu consilij sui &c.) tamen inferiores animę vires, & inter alias phantasiam pręcipuè, variè afficere possunt, & in ea quidquid voluerint, menti inspiciẽdum proponere. quamobrem ad affectus, ne dicam defectus & cupiditates nostras, ad amorem et odium excitandum, peritissimorum pictorum arte & officio funguntur; qui res omnes quas pingunt, nunc hac specie et figura, nunc illa, nõ pro eorum natura, sed pro arbitrio suo effingunt: qua profectò arte si nos ad amorem incitare & inflammare cupiunt, rem quam nobis cogitandam & intellectu contemplandam offerunt, omnium formosissimam & maximè delectabilem, atque amabilem depingunt, licet turpissima et fœdissima illa sit, & pro sua libidine eandem rem nunc pulcherrimam, nunc maximè deformem in nostram perniciem, nulla interposita mora effingunt: nosque ad amorem, aut ad odium instigant, atque inflammant, quia, vt Arist. ait, si quis in animi affectibus reperitur, à praua similitudine, amore aut odio afficitur, sicut calida cinis per sulfuris contactum accendi solet, iuxta illud Ouidij:

arbitrium. Phantasia potissimũ Dæmonũ impressiones recipit.

Ouidius, de amoris natura.

Vt penè extinctum cinerem si sulfure tangas,
Viuet, & ex minimo, maximus ignis erit.

Quibus accedit, quòd ut D. Hier. in illis uerbis ait: Virtus eius in lumbis eius &c. Dæmones naturali iuuenũ calore & cupiditate ad eorũ lasciuiam abutuntur: quẽ quidem calorem flatu, & suggestionibus adeo incendunt, ut eos hoc incendio deuorent, atque consumant. in cuius rei testimonium illud Pygmalionis Cilicis filij qui in eburneam statuam exarsit, facere videtur,

D. Hieronymus de iuuenum amore.

de

de quo apud Aelianum sic legitur, Adolescens summo loco natus, statutam bonæ Fortunæ deperibat, & sæpè in complexus eius se insinuans, oscula dabat; atq; inde raptus in furorem propter cupiditatem in senatum ueniebat, & enixè rogabat, ut sibi eam liceret emere: at cùm nihil proficeret, multis regijs sertis imagine coronata, oblato sacrificio, ipsaque uestitu pretioso exornata, sibi mortem cum lacrymis consciuit, adeò fascinans dæmonum uis in eum potuit: flatu enim atq; suggestione satis per se incensum animum ad mala procliuem inflammant, inflammatumq; in peccata & in excidium præcipitatur. Et huc uerba illa spectant, De ore *eius lampades procedũt, quasi tædæ ignis accensæ: hoc pacto carnis appetitus, ubi accensus fuerit, ita uoluntatem ipsam sollicitabit, ut eam in suam sententiam trabat: eoq; magis, si uitiosis affectibus & cupiditatibus, quę à carne ortum habent, luxus, crapula, & cibi Venerem excitantes accedant. Libido .n. quæ ex humorum redundantia uires colligit, delicijs & nimia indulgẽtia roboratur: quia cùm natura omne superfluũ tanquam noxium & redundans in corpore pellere studeat, protinus naturali quadã titillatione atque illecebra obscœnas corporis partes excitat, per quas egerere & protrudere foràs poßit, quidquid sibi nociturũ sentit. Ex qua ualida tentatione & titillatione homines ignari, se se ad amorẽ cogi existimant: quia tantũ ignem, furorẽ, insaniam, pestem, atq; ut ita dicam, dementationem in seipsis sentiunt, ut eorum mẽs perstringatur, & ad quæuis flagitia impellatur. Eoq; turpitudinis & furoris huius tentationis magnitudo proceßit, ut nõ defuerint, nec nunc desint hæretici, qui dicant, cupiditatis huius*

Pygmalionis infandus amor ĩ statuam.

Libido unde roboretur.

Omne superuacuũ natura è corpore pellit.

immanitate, liberum hominis arbitrium penitus obrui & deleri. Quod falsum esse ex D. Paulo monemur his verbis, Fideiis Deus, qui nō patietur vos tentari, supra id quod potestis. Quando igitur dæmones ad odium aliquem excitare satagunt, in illius phātasia, vt diximus, omnes opportunas odij causas pingunt, ac veluti ob oculos ponunt, & ad memoriam reducūt, miris amaritudinis modis eiusmodi causas augendo, corporis et humores turbāt, omnesq; ad melancholicum & cholericum tendere cogunt, quibus humoribus cōturbatis, & tristitia cum odij causis accensa, ob dissensionis quoque fomenta disseminata, adeò cor cum toto corpore, cōtra hominem illum odio & furore afficitur, vt ignem euomere, & cōtra illum furere uideatur. Quod quidē eo facilius dæmones exequuntur, si res eiusmodi odio excitādo idoneas (ut herbas & alia) adhibeant, ut sæpissimè solent: & ita sicut fera repagulis soluta, aduersus rationis imperiū effrenato impetu homines odio incensi feruntur. Tanta est dæmonū potestas atq; calliditas, hominumq; cæcitas & dementia. Et postquàm hac de re loquimur, me cōtinere non possum, quin capitalis odij dæmonum arte in cuiusdam mulieris uoluntate incensi aduersus maritum exemplum referam. In oppido Sepino, quod ab urbe Neapoli circiter quadraginta millia passuum distat, est quidam ciuis non obscurus, Iacobus Verardus nomine, amicus meus: illuc cùm ego mei beneficij S. Mariȩ nuncupati uidendi studio me contulissem, & Ioanne Baptista Mutio eius consanguineo, ac meo procuratore hospitio receptus essem, ab vtroque mihi narratum fuit, uxorem ipsius Iacobi tantū odiū cū eo exercere, ut à primo die quo inter ipsos matrimonium

Hæretici asserētes carnis tentatione liberum arbitriū deleri, refellūtur.

Dæmonū fascinans vis quid possit.

nium contractum fuit, simul habitare nequiuerint, tantum abest, ut sese inuicem copulauerint. Et si quãdo Iacobus ad uxorem accedere uoluisset, tanto furore ac rabie percita uxor erat, ut se per fenestrã potius præcipitem daret, quàm illum pati posset: quod cùm mihi difficile creditu uideri dicerẽ, illicò mulierem accersi iubẽt; eiusq; maritus in interiorem ædium partem sese abdidit, ne eius præsentia uxor ingredi renueret; uenit mulier, quæ de odij causa contra coniugem à me interrogata, suam uicem priùs, miserumq; fatum deplorata, inquit, se nullam eius rei rationem reddere posse: quin absentis mariti tanto desiderio & amore se flagrare dicebat, ut id uerbis exprimere nequiret: cùm autem ad illum alloquendum & uidendum accedere uellet, illicò imaginationi suæ tot deformitatibus & turpitudinibus, totq; horribilibus monstris maritum depictum apparere, ut mortẽ priùs subire uellet, quàm illũ ferre, asserens quòd eius anima tota, omnesq; uires, & spirituũ partes in maritum, tanquam in oblatum malum, & sui perniciem ferebantur; rursus eo absente, eiusdem desiderio æstuare se aiebat. De cuius mulieris uerbis, cùm ego periculum facere uellem; dixi mulieribus eam comitantibus, ut illam circum pedes & brachia super lectum ualido fune in crucis modum uincirent; quò maritus omni repugnantia remota expeditum accessum ad eam haberet. Verebar enim ne ob deformitatem aliquam celandam, mulier se ita affectam esse simularet. Vxor denique ob mariti desiderium se ligandam tradidit, rogans ut ad se maritum admitterent, quo ingrediente, nullæ unquam furiæ tam immanes uisæ sunt, nulla fera tam efferata, nulla bellua tanta rabie & furo-

Iacobi Verardi vxor veneficio oppressa.

re concitata ei similis inuenta fuit, spumã ex ore emittebat, dentibus fremebat, oculos contorquebat, totumque corpus ueluti furijs agitatum, ac dęmonibus plenum uidebatur, mulieresque ibi aßidentes retulerunt eius uentrem ac stomachum funibus contortis ipsis tangentibus refertum uisum esse, totamque cutim ut flagris cęsam redactam. Nec furendi finis factus est, donec maritus concertationis labore defessus, & illius misericordia motus illinc exijt, & tandem post tres annos mulier quædam in ueneficijs uersata, quæ Iacobi matrimonium cum illa uxore grauiter molesteque tulerat, fascinum quod patrauerat, soluit: & ita Iacobus uxore potitus est, hodieque ambo in summa pace atque otio tranquillißimè uiuunt. Ecce quomodo dæmones odij causa eße possunt, humanum corpus cænoso turbidoque sanguine, & quadam sordida melancholia afficiendo, in nonnullos frigus inducendo, in alijs humores exurendo. Vnde insolentes, inuidos, tumidos ac misanthropos homines efficiunt. Adde quòd ipsam quoque hominis imaginationem uarijs spectris phantasmatibusque ad eam rem depingunt: sępè etiam corpori illabuntur, animæque potentijs corpori affixis adhærẽt. Ex qua actione intellectus turbatur; & quia uoluntas rem oblatam ab intellectu sub boni specie accipit: hinc fit ut dæmones iu uoluntatem ex accidenti agere dicantur, quam ea uia grauißimo odio incendere aduersus aliquem possunt, qui quidem odij & inimicitię modus inter matrimonij sacramento coniunctos à dæmonibus exerceri consueuit, ut in adulterij crimen eos cadere suadeant, & ad alios luxuriæ turpes actus habiles reddant: ut tam uiro quàm mulieri peccandi

Dęmonũ otis in matrimonio coniũctos.

Dæmones in uoluntatem ex accidenti agunt.

di occasionem suggerant, & sic excitationem libidinis ab una tollere, & in aliam incendere ui sua aut externa virtute possunt. Nam etsi in omnibus peccatorum generibus homines sollicitāt, in carnis tamen peccatis maiorē tentandi solertiā adhibent: cùm per hanc viā originis culpam contrahamus, qua præcipuè dæmonibus subditi facti fuimus. Atqui matrimonij copulam præter narratas uias alijs modis impedire possunt; primo generandi uim herbis, aut alijs rebus adhibitis tollēdo: secundo, coniugū corpora ne mutuò adhæreant distrahendo & amouendo: tertio, coeundi uoluntatem diuertendo: quarto, eandē uoluntatem à coniuge remouendo, & in aliam vel alium inflāmando: quinto, genitalis membri rigorē reprimēdo: sexto, spirituum missionem (in quibus est mouendi uirtus) ac membra impediēdo: septimo, seminis uias intercludēdo, ne ad generationis vas perfluat: octauo, amborum corpora inuadendo, uarijsq; affectibus eorum animorum motus contaminando: nono, ipsa generationis membra inutilia reddendo: decimo, unum alteri deformem, infestum & inimicum esse suadendo. Ex quibus liquidò constat, eos qui non dæmonibus, sed uel naturali causæ nobis occultæ, aut hominum artibus coitus impotētiam adscribendā esse dixerunt, malè sensisse, cùm tali ac tanta uirtute dæmones præditos esse non crediderint. Et nihilominus septē Saræ uiros non coeundi duntaxat uirtute, sed uita quoque simul priuarunt. Si enim à naturę causis impedimētum illud oriretur, cū omnibus mulieribus eandē difficultatem homines haberent. Verùm quia multos nouimus, qui cum una rem habent, & cum alia commisceri nequeūt, vicissimq; multas fœminas à proprijs maritis

Peccatum quo hoīes à dæmonibus magis sollicitantur.

Matrimonium quibus uijs à dæmonib. impediaī.

Coeūdi impedimentū vnde.

Saræ septē viri vita priuati.

ritis auersas, cæteris verò addictas vidimus: propterea dæmonũ astu & solertia id fieri iudicamus. Amor quoq; in nostris animis multis modis à dæmonibus infigi consueuit; propter pulchritudinem, propter gratiã, propter probitatem, propter doctrinam, propter vitæ simplicitatem, & hæc quandam internam voluptatem afferunt. Et hoc quidem bene à nobis fieri existimatur, tum vt Deo nos gratos reddamus, tum etiam vt animi virtutes naturæq; dotes digno amore prosequamur; quibus initijs, quia obicem nõ ponimus, latenter amor nostris animis irrepit, & paruo pòst tempore affectũ in nos admissum, incensum inflammatumq; sentimus: eaq; amoris signa edimus, quibus cor illicitis amoris ictibus sauciatum esse ostenditur. Quocirca cùm virulentiora vulnera indies cordi infligãtur, delectatio quæ pia, sancta & honesta uidebatur, in prauã & detestandam transit delectationẽ. Nec modò dæmones id sua vi student, sed hominibus ad idem efficiendum utũtur: quo pacto Bethsabeæ nihil eiusmodi opinanti suggeßerunt, ut se in suę domus solario lauaret; ac Dauidi suaserunt, vt eo temporis momento in eo loco deambularet, unde illam intueri poßet; quo dæmones effecerunt ut rex ille omni sanctitatis genere cumulatus, libidinis impetu stimulatus, fœdißimum homicidij crimen cum adulterio coniungeret. Sichem etiam cùm Dinam ad mulieres uidendas exeuntem conspiceret, adamauit & rapuit. Amon quoque eodem modo suam sororẽ Thamar adeò amauit, ut ob eius amorem in morbum incideret. Prætermitto alias artes quibus dæmones ad idẽ efficiendum vtuntur: eas enim nonnihil tetigimus, ut, quòd uim appetendi inflamment, in imaginatione rem adaman-

Delectatio sancta ĩ prauã cur trãseat.

Amor Dauidis in Bethsabeam vnde.

Dinæ raptus.

Calliditas dæmonum ad amorem inflammãdum.

adamandam delectabilem depingant, semperq; ob oculos illam obtrudant, humores ad amorem disponant, res amorem excitantes latenter adhibeant, & comedendas suadeant, sordidorum librorum lectionem proponant, improborum hominum consuetudinem sectandam inculcent, uoluntatemq; occultis insidijs & stratagematibus ad amandum impellant. Quando autem dæmones alicui impio homini suadent, ut pro alicuius mulieris amore alliciendo herbas, aut quiduis aliud illi comedendum tribuant, credendum eis non est; quia tunc herbæ illæ ad amorem nihil conferunt, sed alia uia idem agere curant, & huc illud spectare uidetur,

Sic potius nos urget amor, q̃ fortibus herbis, Herbæ ad amorẽ nil conferunt.
Quas maga terribili subsecat arte manus.
Nec uos graminibus, nec misto credite succo:
Nec tentate nocens uirus amantis equæ.

Et rursus:

Hei mihi ꝙ nullis amor ẽ medicabilis herbis.

Qui uerò insita fascinantium uirtute homines ad illicitum amorem allici putant, vt 3. & 8. cap. primi libri retulimus, eos hunc philosophandi modum, quem sacrarum litterarum interpretes Spiritus sancti lumine illustrati excogitarunt, non animaduertisse iudicamus.

De ueris, pijs ac sanctis amuletis, fascinum atq; omnia ueneficia destruentibus. Cap. X.

Longè diuersus medendi modus illi adhibetur, qui corporis ægritudine laborant, ab eo qui fascino dæmonum arte illato, infectis adhibetur. Ex illis enim alius cibis reficitur, alius abstinẽtiæ beneficio extenuatur: Corporis medelę modus varius.

tur: quidam balneum, nonnulli ferrum exposcunt: hic laxandi, ille adstringendi medicinam postulat: & pro vario ægritudinum genere, uaria medicamenta perquirunt. At fascini labe contaminatis, sicut una duntaxat causa, diuinæ scilicet legis contemptus extitit, ut fascinarentur; ita unica solùm res fascini calamitates & miserias penitus aufert, nempe eiusdem legis obseruantia. Sicut ex dæmonũ aßeclis, & ipsis dæmonibus, atq; à sanctis Angelis testatũ legimus. Philo namq; Iudæus Magum quendam celeberrimum refert, (quem Rex Balaces ex Mesopotamia acciuerat, ut eius execrationibus Hebræos cõtra quos bellũ gerebat, destrueret) retulisse, fascinationes & dæmonũ artes, aduersus illũ populum nihil ualere; quippe qui ob legis sibi datæ obseruantiam, Deo charißimus erat; Regiq; consuluit, ut Hebræos ad legis contemptũ impelleret, sic tantùm expugnabiles fore: idq; à Iosepho etiam de Antiquitatibus relatũ legimus. Quòd autem dæmones idem cõfeßi sint, ex Gregorio Nazianzeno, & ex Aurelio Prudẽtio uiro Consulari, qui S Cypriani martyris uitam carmine scripsit, habemus. Vterq; enim scribit, ꝙ cum Cyprianus magus esset, & in dæmonũ deceptionibus admodum uersatus, Iustinam Christianã uirginem ardenter amabat; quam cùm ueneficijs ad suæ libidinis assensum allicere conaretur, dæmonẽ consuluit, quanã id re consequi posset; cui dæmõn, nullã ei artem profuturam contra eos, qui uerè Christũ colerent, respondit: qua responsione cõmotus Cyprianus, de uitæ superioris instituto uehementer dolere cœpit, ac magicis artibus relictis, se totũ Christo tradidit. Quòd uerò sancti Angeli ostenderint, cõtra quos dæmones præualere poßint, in

Tobia

Philonis historia de mago quodam docẽte fascinationes quibus nocerent.

Cyprianus magus Iustinã christianam veneficijs allicere conans, à dæmone veritate sibi manifestata, Christianus fit.

Tobia legitur his uerbis: Qui coniugiũ ita suscipiunt, ut Deũ à se & à sua mẽte excludant & suæ libidini uacẽt, sicut equus & mulus, quibus nõ est intellectus, sup eos dæmones potestatem habent. Et quoniam diuina lex, Deique præcepta (quorum cultus dæmonum fascinationes & fallacias dirimit) plures circũstantias cõiunctas & annexas habent; hac de causa ex illis nonnullas enumerare statui: quò per earum obseruantiam, tela nequissimi hostis uitare possimus. Ante omnia Dominũ Iesum Christum Deum & hominẽ confiteri, & ex animo diligere oportet: deinde peccatorum occasiones fugere, malarum cogitationum principijs obstare, otium, prauorum hominum consuetudinem, sordidorumque librorum lectionem uitare, pijs libris semper incũbere, diuinorum beneficiorum reminisci, confessionis, Eucharistiæ sacramenta, & orationem frequentare, carnem per cibi & potus abstinentiam domare, eleemosynas libenter impartiri, animi puritatem, solitudinẽ & silentium amare, uoluptates spernere, & opibus animũ non adhibere: quibus conditionibus completis, omnes fascinationes, dæmonum imposturæ, atque etiam dæmones ipsi non secus euanescunt, ac puluis ante faciem uenti. Primum inũe omnibus persuasum esse debet. Si quidem dæmones uincere nemo potest, qui illis ualidior non sit: sed nihil eis fortius reperitur, nisi Dei filius, qui ea de re in hũc mundũ uenit ut dæmonum opera destrueret. Nam etsi homo libera sit præditus uoluntate, ad hoc tamen opus peragendum, nisi diuina uirtute adiutus inhabilis est. quia quemadmodum quisque sibi mortem consciscere potest, è morte tamen ad uitam suam redire nequit: sic in dæmonum potestatem ex se ruere potest,

Angeli ostendũt cõtra quos Dæmones præualeãt.

Arma ad propellendas Dæmonum fascinationes.

Homo potest ex se Dæmoni subijci, sed non liberari.

à se-

à semetipso uerò inde emergendi uires non habet: quibus id accedit, quod Iesus Christus, talem ac tãtam uirtutem habet, ut solo eius nomine omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, sicut sacræ litterræ perhibent, & fide tenemus: Secundum ex vulgarium hominum dictis colligimus, qui nihil referre aiunt, si in hoc aut in illud oculos coniiciant, per vicos & plateas deambulent, cùm Dominus non aspectũ, sed affectum prohibuerit. multaq; alia faciunt, quæ licet crimina non sint, illorum tamen occasiones sunt, quibus gradibus in dæmonum retia cadunt, & ad peccati præcipitium perueniunt; quibus id meritò dicitur quod in Eccles. legitur, Qui amat periculum, peribit in illo. Dæmonibus admodum familiare est, à paruis occasionibus ad maxima nos mala præcipites dare. Ideo qui luxuriæ causa dæmonum fascinationes uitare cupit, non modò studet, ne quid turpe (puta concubitum, osculumve, aut amplexum) petat, sed omnia quoque suspiciosa, vel colloquia, vel spectacula, vel contubernia, & tandem quidquid viam ad huiusmodi facinora aperire videtur, mira vigilantia vitat. Tertium etiam prophani Philosophi intellexerunt, malarum videlicet cogitationum principijs obstandum, ac renitendum esse. Quocirca Seneca in Epistolis inquit; Imbecillis primò omnis affectus est, deinde ipse se concitat, & vires, dum procedit, parat. hinc Ouid.

Iesu nominis virtus.

Periculi amator perit in illo.

Principiis obsta: Serò medicina paratur,
Cùm mala per longas conualuere moras.
Sed propera, nec te uenturas differ in horas:
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Principijs obstãdum.

Quo enim impura cogitatio diutius in nobis moratur,

eo altiùs radices agit, & quadã uoluptatis illecebra, ut glutino quodam menti infixa, difficulter expellitur. Mira ergo celeritate omnis praua cogitatio retũdenda est, cùm primùm animi fores pulsat, antequam affectus aliquis praui amoris scintillas in cõcupiscendi vi excitet: quæ semel accensa, mentem incendio suo vrit, & non paruo labore postea extinguitur. Quartum non mediocris momenti est, ex otio namque dæmones tentandi occasionem sumunt, maiorq; uitiorum pars ex eo oritur: quod Ecclesiast. uerbis roboratur, ita dicẽtis; Multã malitiam docuit otiositas. ad quod illud Ouid. respicit.

Otij & inertię damna.

Quæritur Aegysthus quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

Quintum admodum necessarium est; improborũ enim hominum consuetudinem adeo perniciosam ac pestilentem nonnulli esse crediderunt, ut non defuerint aliqui, ut Valerius Max. refert, qui cùm alicui maximum aliquod malum imprecari vellent, dicerent; I, vt vti possis mala consuetudine; ex qua omnium malorum genera oritura Cretenses putabant. Probi namque uiri ad improbos accedentes multò faciliùs eorum uitia contrahunt, quàm suas illis uirtutes affricent. qui enim cũ scorpionibus & uiperis degit, eum ab illis non morderi difficile est. iuxta illud: Quis tangit picem, & non inquinatur ab ea? quis communicat superbo, & nõ induit superbiam? ideo mala consuetudo non minus quàm perniciosa corruptela fugienda & vitanda est. Sextum ęquè necessarium est ac præcedens; cùm ex sordidorum librorum lectione animus inficiatur, ac sæpenumero lenocinio uerborum, mellitaq; oratione allectus, pestifera dogmata, quasi uenenum saccaro conditum hauriat.

Ex praua cõsuetudine mala omnia fluunt.

Lectio sordidorum librorum vitanda.

& ob

& ob id cùm primùm eiusmodi libros in nostris manibus uident, omnes dæmones, uelut agmine facto, ad nos tentandum irrumpunt, ut suo quisque loco animæ nostræ mœnia inuadat. horum autem nequissimus ille est, qui ad luxuriam inflammãdam partes suscipit. Et cùm ad seducendum faciles, ad bene operandum debiles, ad resistendum fragiles natura simus; non multo labore ipsis opus est, ut in uana nos discrimina conijciant: sed ex illorum lectione librorum uoti compotes euadũt. Hinc fit ut septimũ totis uiribus amplecti debeamus, ut cum Propheta dicere possimus, Lucerna pedibus meis uerbũ tuũ. Si enim piorum librorum lectioni incumbimus, intellectũ illuminamus, bonũ affectũ inflammamus, animum pascimus, uitia fugamus, uirtutes nutrimus, dęmonum laqueos detegimus, armaq́ue contra illorum fraudes paramus: quia eiusmodi lectio, tot propositis præmijs, ad uirtutẽ inuitat; tot supplicijs & minis à uitijs deterret: tot promissa, tot mysteria, tot sacramenta ante oculos ponit, ut quisquis illa suo animo rectè perpenderit, eum ad uirtutis amorem, & ad improbitatis odium excitari opus sit: Deoq́ue charus, ac dæmonum uictor ac triumphator euadet. & ex hoc tanquam ex perenni fonte, octauum sequitur, quia diuinorum beneficiorum non potest non meminisse, qui pijs libris legendis animum adhibet. & profectò creationis, redemptionis, & diuinæ prouidentiæ memoria ad alia beneficia nobis præstanda Deum quodammodo impellit: nec quidquam efficacius est, ad mentis aciem purgandam & fascinationes destruendas, quàm Christi uulnerũ assidua meditatio. Et quemadmodum Christi cruciatus peccatũ sustulit & dæmones subegit: sic

Hominis imbecillitas.

Verbũ Dei lucerna pedibus nostris esse debet.

Recordatio beneficiorũ Dei maximè vtilis.

ſic aſſidua de eo cogitatio ad utrumque plurimùm confert. Quibus ſi accedat memoria earum miſeriarũ, quæ indies ob noſtra crimina nos inuadunt, omnia nobis nocentia, ut cupiditates & alios affectus à nobis expellemus. Hinc illud,

Miſeriæ propriæ cõſideratio utilis.

Ad mala qſq; animũ referat ſua, ponet amorẽ:
Omnibus illa Deus, plùsve minùsve dedit.

Nonum à dæmonibus vehementer timetur; nam idem in Confeßionis ſacramento hodie agitur, quod à Saluatore noſtro factum fuit, cùm hominem mutum et ſurdum à dæmone obſeſſum liberauit. Chriſtus namq; dæmonem ab humano corpore eiecit, Sacerdos abſoluẽdo dæmonẽ ab anima pellit. Verba enim illa Sacerdotis adeo efficacia ſunt, cũ ait: Ego te abſoluo, *ut nõ ſecus peccatorũ tenebræ, dęmonesque ipſi tenebrarũ principes, uocis illius poteſtate aufugiant; ac tenebræ ex mũdo euanuerũt, cũ in mũdi exordio Deus dixit,* Fiat lux.

Confeſſionis ſacramentalis uis.

Decimum cum nono debet eße coniunctũ; qđ.n. peccatorũ deteſtatio & cõfeßio aggreditur, hoc Euc. ſacramentũ perficit & auget. Chriſti namq; corpus à deuota anima ſumptũ cõſcientiã exhilarat, animæ uires reparat, hominẽ meritorum Chriſti participẽ facit, deuotionẽ excitat, fidẽ illuminat, ſpem roborat, charitatem inflãmat, affectus regit, præterita peccata delet, cõtra futura armat, dęmonum fraudes ac faſcinationes penitus auertit. Quocirca cùm quidam Neapoli luxurię ſtimulis ardẽter ſollicitaretur, eaque de re ad ſanctũ Euchariſtiæ ſacramentũ accedere non pręſumeret; illi cõſiliũ dedi, ut conſcientiæ examine pręmiſſo, et peccatorũ confeßione peracta, quãta poßet humilitate ac deuoto

Euchariſtia ſacramenti mirus effectus.

mentis affectu hoc sacramentum sumeret: Quod simul atque is executus fuit, ardens illud luxuriæ incēdiū ita sublatum sensit, vt nullæ amplius reliquiæ relictæ fuerint, & deinde nullo penitus libidinis ardore stimulatus est, sed castitatis gratia donatus, cum summa conscientiæ tranquillitate vitam egit. Sicut enim praua cum lasciuis familiaritas intemperatum & incontinentem illum reddiderat, ita continuus huius sacramenti vsus, temperatum, continentem, & castum eundem effecit, iuxta illud,

Amor vsu paratur, & vsu amittitur.

Intrat amor mentès vsu: dediscitur vsu:

Vndecimum iaculum dæmones validissimè confodiens esse existimo orationem, qua mens in Deum eleuatur, votorum nostrorum compotes sumus, per quam omnes dęmonum fraudes, fascinationes & maleficia destruuntur, & ipsimet dæmones subacti in tormentorū locum, velut vulnerati graui vulnere abire cogūtur; hominesque ab omni illorū molestia atq; impetu, liberi & immunes seruantur. Ad quod respiciens Saluator noster admonens suos discipulos dixit, Vigilate & orate, ne intretis in tentationē. *Et Propheta, Oculi mei sēper ad dominū; quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Cumq; orationis contra dęmones robur, Dominus noster demonstrare vellet, asseruit:* Hoc genus dæmoniorum non eijcitur nisi in ieiunio & oratione. *Ex quo intelligimus, pręcipuā dæmones effugādi vim Orationi tributam esse: quia per orationem cum Deo vnimur, vnusque spiritus Cum Deo euadimus; quam excellētem humanæ mentis cum diuino intellectu coniunctionē, dæmones peius inferorum igne formidant. Quapropter cùm Dominus orationem cum ieiunio ad*

Orationis vis.

mones expellendos coniunxerit, nos quoque ea non separabimus, atq; duodecimum præsidium contra dæmonum arma statuemus. Dæmones enim ad nostrarum animarum interitum, carne, tanquam familiari et domestico hoste vtuntur, in qua cupiditatum nostrarum radix existit: quæ si ciborum multitudine & varietate pinguis reddita fuerit, sui amorem, luxuriæ, reliquorumque vitiorum impetus germinabit. Et hoc in causa esse consueuit, vt mariti absque Dei timore cum vxoribus misceantur, quod est contra Dei præceptum, quod Tobiæ filio per Angelum dedit, ita dicens: Cum acceperis vxorem, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea. *Quod quia per incontinentiam, crapulam, & ebrietatem prætermittitur, plerique coniugati fascinati, & veneficijs affecti reperiuntur: alij eadem de causa thorum genialem polluunt, illicitoque pellicis concubitu gaudent: et quod peius est, intra domesticos parietes hanc vetusti flagitij consortem retinent, eamque adeo ad quotidiani ministerij vsum necessariã existimant, ut se uiuere sine illa non posse dicant, familiarem pudicitiæ hostem in conspectu semper habentes. Ideo per ciborum abstinentiam caro attenuanda est, vt ipsius impetus & affectus exiles ac debiles reddãtur; animusq; robustior ad certamina cum dæmonibus obeunda efficiatur. Corporis namque prælium ab animi cum dæmonibus conflictu plurimũ differt: In vno corporis robur requiritur, in altero debilitatæ corporis uires victoriam præbent. Qua de re Dominus nos admonens, inquit: Attendite ne grauentur corda uestra crapula et ebrietate. At si à*

Caro domesticus noster hostis.

Abstinentiæ virtus.

Corporis & animi dispar conditio.

consuetis cibis abstinẽdum est, quò dæmonum victores euadamus; quantò magis illorum ciborum usum uitare debemus, qui ad libidinem homines stimulant? quod etiam Ethnici docuere. Vnde Ouid.

A cibis Venerem excitantibus abstinẽdũ.

Nec minus erucas aptum est vitare salaces,
Et quidquid Veneri corpora nostra parat.

Qui enim salacibus cibis se implent, dęmonumque uictores esse cupiunt, ijs sunt similes, qui inermibus hostibus, ad se confodiendũ arma tradunt. Vtque nostri corporis abstinentia Deo grata fiat, quod corpori subtrahimus, pauperibus erogemus; & ita decimumtertiũ statuimus: Nam sicut per bonorum largitionem, egenis subueniẽdo à peccatis et ab animæ interitu liberamur, ut Tobias ait: ita dæmonum deceptiones, fallaciæ et fascinationes per eandem frangũtur; uiresque nobis subministrãtur, quibus per eiusmodi bonorum operũ uiã incedentes, perque animi puritatẽ, charos nos Deo reddamus. Et est decimumquartũ; quo animi simplicitatẽ sectari & turpitudinem fugere iubemur: pręcipua nãque dęmonum cura est, omnia spiritualia arma destruere, quibus homines internam lucem percipere, & diuinæ gratiæ auxilium cõtra ipsorum fallacias habere mereantur. Et sicut ob animi simplicitatem, humilitatem & puritatem Deo placemus; ita per easdem uirtutes dæmones frangimus, vtque in maximas angustias redigimus. Et præsertim si ab hominum consuetudine remotam uitam agimus, diuinæ tantùm contemplationi uacantes: & ita ad decimumquintum accedimus, quo ad solitariam uitam agendam hortamur: In ijs enim, qui hunc uiuẽdi modũ eligũt, Deus præcipua quadã uigilantia, tãquã in sacrato tẽplo habitare existimatur,

Eleemosynæ uirtus.

Puritas animi seruãda.

Solitudo amplectenda.

tur, cùm spretis contemptisq; inanibus huius mundi rebus, Deo sese penitus addixerint. Ideò dæmonū astus (vt D. Antonius fecisse legitur) floccifaciunt: eoq; magis si silentij beneficio vti sciant, ad quos decimumsextum nos hortatur. Qui enim loquaciores sunt, à dæmonum insidijs immunes esse non possunt. Loquacitas nāque suam quoque voluptatem habet; cumque omnē voluptatem respuere per decimumseptimum moneamur, ab vtraque abstinendum esse instruimur. Voluptas enim omnes corporis vires eneruat; & sicut falsam dulcedinem, ita ueram amaritudinem coniunctam habet. Et quia lætitiæ voluptas proxima est, lætis moribus luxuriam dęmones proponunt. Quo quidem modo homines religione, Dei timore, & omni denique virtutis genere spoliantur, ac dæmonibus subijciuntur: à quo periculo si liberi esse cupimus, voluptates spernere, & humanarum rerum cupiditatem abijcere debemus, vt decimum octauum consulit. A qua sententia prisci etiam Philosophi non abhorruerunt, ut hisce versibus patet,

Loquacitas euitanda.

Voluptas spernēda.

Voluptas lętitiæ germana.

Gnosida fecisses inopem, sapienter amasset.
Diuitijs alitur luxuriosus amor.

Diuitiarū cupiditas fugienda.

Qui .n. diuitiarum cupiditate tenentur, in dæmonum viribus, tanquam fascinati esse creduntur: tum quia auaritia est idolorum seruitus; tum etiam quia cupientes diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, ut ex sacris litteris habemus: quocirca rectè Valerianus ait, diuitijs à vitijs nomen esse impositum. Hęc sunt amuleta, dæmones ipsos, fascinationes, & omnia mala dęmonum arte illata expellentia; & non illa quæ

Auaritia idolorū seruitus.

Diuitiæ a vitijs dictæ.

primo libro de Philoſophorum ſententia retulimus, leuitatis, turpitudinis, & ſuperſtitionis plena. Atque ſi his, Agnus Dei addatur, qui ſine labe peccati & Dei offenſione circa collum ſuſpenſus geſtetur; & ſi ad omnem progreſſum, aditum, exitum, veſtitum, calceatum, ad lauacrum, ad menſam, ad lumen, ad cubile, ad ſedile, & denique ad omnem actionem ſanctæ Crucis ſigno frons teratur (vt Tertullianus ait, in lib. de Militis corona:) Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri quoque nomen in corde & ore habeatur, nihil eſſe puto, quod in his noſtris amuletis deſiderari poſſit.

Agnus Dei amuletum optimum.

Cruce frõs terenda.

F I N I S.

LEO-

LEONARDO VAIRO SACRAE THEOL. DOCT. PRAESTANTISSIMO,

Horatius Albinus, Beneuentanus, S. P. D.

SINGVLARI *quadma humanitate sæpenumerò à me efflagitasti, mi Leonarde, vt scriptis meis indicem, quid causę fuerit, cur in ipso cœnę initio te ex improuiso maximis doloribus opprimi senseris, cùm apud monachos sanctæ Sophiæ Beneuentanę, anno* M. D. LXXIII. *die tertia Augusti, hora uerò* XXIII. *cœnares: vnde te repentè emori exclamaueris, quoniam omnia in te venenum concomitantia indicia uisa fuerint, ac demùm adhibitis contra venenum remedijs, illicò melius habere cęperis, & multorum dierum spatio post purgantis medicamenti exhibitionem, cerebri læsione sedata, & cordis palpitatione expulsa, penitus conualueris. Ego verò in omni obsequio prętando duo imprimis consideranda censeo, tum vt cui plurimum debeamus, tum ut ei qui aliquo uirtutum genere fulgeat (is enim non potest non iusta petere) morem geramus. Cùm autem nemo sit à quo non ego duntaxat, verumetiam tota Albinorum familia maiora beneficia acceperit, quàm à te, qui consilijs & auxilijs adeò domui nostræ profuisti, vt perpetuò nos tibi deuinctos esse oporteat: cumq; ea uirtute polleas, quæ paucis, ijsque optimis ac præstantißimis viris tecum*

communis sit; non potuit tibi in hac re studium meum deesse. Quid enim fœlicis recordationis pater meus dũ viueret egit, in quo tuum consilium fideliſsimum non adhibuerit: tuum iudicium non exquisierit? tuam sententiam secutus non fuerit? Te siquidem non in amici, sed in germani fratris loco semper habebat: meas uerò ærumnas & calamitates tibi communes semper existimasti, nihil deniq; prætermisisti, quod ad honorẽ commodumq́; augendum pertineret. Quid de tuis maximis clariſsimisq́; uirtutibus dicam? quid de integritate & humanitate commemorem? quæ quales & quantę sint, uniuersa hæc ciuitas Beneuentana fidem facere potest: dum enim hic multos annos te publicè legentem docentemq́; omnes audiuimus, ita studiosorum animos Logicę, Philosophiæ ac Theologię disciplina illustrasti & auxisti, ut tui nominis memoriam sint perpetuò habituri. Illud quoq; silentio non inuoluam, quòd Theologię magistri Neapolitani, cùm te ad Doctoratus gradum promoturi eſsent, ingenium doctrinamq́; tuam ita admirati sunt, ut te non modò Doctoratus laurea nemine discrepante, viuaq́; & una uoce ornauerint, uerumetiã in eorum collegium cooptauerint, qui doctorandorum examini intersunt, non sine aliquo honorario. Vnde postea M. Antonius Columna tuarum singularium uirtutum fama accensus, te minimè ambientem, Romam ad Ascanium eius filium docendum, atq; optimis artibus instituendum uocauit; dignum hercule discipulum, qui tali præceptori committeretur: qui cùm tuis institutis prçceptisq́; maximum in Philosophia ac reliquis speculatiuis disciplinis progreſsum fecerit, ad Iurisprudentiam adipiscendam Salamaticam properauit. Te uerò

illu-

Illustrißimus & reuerendißimus dominus Cardinalis Granuellanus in suorum familiarium & commensalium numerum accepit. Taceo laudem & gloriam quam concionibus sacris indies maiorem tibi comparas, quas ad Gregorium XIII. Pont. Max. magno totius Cardinalium collegij applausu aßiduè habes: prætermitto alias tui animi dotes innumerabiles. Nam cùm omni virtutis genere ornatißimus sis, encyclopædiamq; bonarum artium absolueris, nequeo satis pro dignitate tuas laudes deprædicare. Ad tuam uerò ęgritudinem ueniam, in quam incidisti, cùm M. Antonius Columna ad reformandos monachos sanctę Sophiæ te destinaßet: ubi Abbas Ascanius eius filius te generalem in spiritualibus & temporalibus Vicarium esse uoluit. Nec miror cur cùm tuę curationi non ego solus, sed prę stantißimi in re medica uiri adfuerint, mihi potius hanc prouinciam dederis: ratio enim succurrit: nam etsi iudicio ac doctrina me illis inferiorem duco, amore tamen & beneuolentia erga te facilè omnes antecello, & quodlibet onus libentißimè tua causa suscipio, præcipuè hoc quod mihi æquè ac tua salus iucundissimum est. Ad rem igitur ueniam, quam iuxta ueritatem & medicæ facultatis canonas me explicaturum polliceor.

DE VENENO D. LEONARDO VAIRO SACRAE THEOL. DOCT. exhibito, HORATII ALBINI ENARRATIO.

Vairo, in cõuiuio à monachis venenum exhibetur.

DOMINVS *Leonardus Vairus Prior sanctæ Sophiæ Beneuentanæ, iuuenis, ætatis annorum triginta, integra sanitate semper fruens, salubri victu vtens, parato conuiuio à monachis eiusdem Abbatiæ, inter cœnandum repentè à prauis ac sæuis symptomatibus correptus fuit. Intumuit ei lingua, vt vix balbutire posset; totius faciei ac vniuersi corporis habitus maximo incendio flagrabat: de dolore ac morsu ventriculi conquerebatur: inextinguibilis sitis eum afflictabat: huc atq; illuc iactabatur, nec quidquã quietis inuenire poterat, corpus totũ deniq; rubescebat, & iã rubor ad lucedinẽ tendebat: flammeis oculis astantes, ut ei opem ferrent, aspiciebat. Ex his igitur de ueneni assumptione in suspicionẽ incidit, tum quia illius loci recenter, cùm esset exterus, erat factus Prior, tum ẽt quoniã reformatio, quã in eodẽ Monasterio tunc faciebat, ad abusus & malos mores tollendos, erat dyscolis quibusdã admodũ odiosa. Quapp ad cubiculum suum, quod propè erat, properauit, in quo lecythũ cum parum olei reperiens, totum absorpsit: facto ab illo uomitu, ab omnibus ferè symptomatibus vindicatus fuit. Accersitis medicis, & oĩbus præintellectis, de*

Oleum absorptum iuuat ueneno ifectos.

nuò

nuò amygdalarũ oleũ recẽter expressum propinarũt, facto q; iterum vomitu, fermè ad pristinã sanitatẽ restitutus fuit; cùm dolore capitis licet leui afficeretur, ac quandã ueluti aurã à uentriculo ad cor, à corde ad cerebrũ eleuatã, post uomitũ relictã persentiret. Voti fuerunt Medici ei medicamentũ purgãs exhibere, quo, septimo die illius morbi exhibito, cũ cõdecenter aluũ exonerasset, ab ipsis ẽt symptomatibus liber euasit, & uiginti dierũ spatio pristinã sanitatẽ recuperauit, de nulla alia re penitus cõquerens. Talis fuit morbus & curatio prædicti Domini, cui septẽ medici interfuerunt, ut potè Antonius Bilocta Protoiatrus, Donatus Antonius Pater meus, Frãciscus Renna, Saluator Mauronus, Angelus & Iulius mei fratres, & ego. Et quoniã aliqui ex nõ accersitis medicis opinabãtur ea symptomata ab exteriori ueneno nõ prouenisse, sed ab alijs, ob inquisitos de hoc delicto purgãdos asserebant; ideo ut huius rei ueritas pateat, nonnullas rõnes à natura ueneni assumptas in mediũ afferã, quibus uenenũ exterius assumptũ esse demõstratur. Venenũ omne intra corpus nostrũ assumptum, oĩbus suis facultatibus opponitur cibo quo nutrimur. Nã quemadmodũ cibus in nostri corporis sanguinẽ uertitur, fitq; in omni sui parte mẽbris, quæ præcipuè nutrit, similis, locum illius quod cõtinuò in nobis exoluitur subintrãs; ita uenenũ contrario mõ se habẽs corpus, ac mẽbra quibus primò adhæret, in sibi particularẽ & uenenatã naturã transfert. Vnde quemadmodũ animalia oĩa omnesq; fructus, quos terra parẽs gignit, & uniuersa quæ in nutrimentũ uerti possunt, si à nobis edãtur, in nostrũ transeunt nutrimentũ: sic per oppositũ modum, uenena intra corpus sumpta, singula nostri

Vairi curationi septẽ medici interfuere.

Venenum assumptũ cibo nutrienti opponitur.

corpo-

corporis mēbra venenata reddunt; & rō est, quia cùm omne agens suo passo sit fortius, venenatè sua vi agendi valida nostram vincit substantiam, vertitq; in sui venenatam naturam, ea sanè rōne qua ignis sua vi agendi potentißima paleas in seipsum conuertit, ut ex Galeno 3. de simplic. medic. facult. habetur, & in libello de Venenis doctissimus Cōciliator idē asserit. Hinc rō reddi pōt cur si aliquis à Phalangio, vel Scorpione, vel alio animali virus iaculante, mordeatur, totum corpus venenatū reddatur, ac tam parua ueneni quantitas, tam praua pariat symptomata, quod ideò euenire credimus, quia licet venenum sit paruæ molis, cùm venenum sit potentius illa parte cui fuerit iniectum, ipsam in sui uenenatam substantiam conuertit, & illa rursus aliā sibi partē continuam in uenenatam naturam uertit, & sic succeßiuè suas ualidas uires multiplicando totum animal uenenatum redditur. Hinc ēt cā aßignari pōt, cur morsi à rabido cane aquam expauescant, à qua sola forsan sanari poßent: ob eandem cām illud euenire arbitramur. Nam cùm humorum oīum & totius corporis principalium facultatum functionumq; imperium venenum ipsum susceperit, atq; oēs corporis dispositiones, sibi similes reddiderit, mouētur uniuersæ corporis uires, irruuntq; contra id quod contrarium sibi existimant, id est, cōtra ipsam aquam, si ea in medium efferatur. Et sic cùm tota substantia illius morsi à cane rabido sit uersa in rabidam naturam, cùm uenenum illud sit calidum & siccū, expauescit aquam, tanquam contrariam, & suam naturam destruentem. Vel dicendum hoc ex corrupta imaginatione cōtingere: imaginatur namq; æger canes esse in aqua, & imaginatio continua, quam de cane obtinet,

Agens suo passo est fortius.

Cur morsus aut parua veneni quantitas totum corpus īficiat.

A cane rabido morsi aquam expanescunt.

sigillat in se canis figurã, & phantasiatur canis in aqua, & in alijs liquidis & tersis corporibus: & ob id à cane rabido morsi aquam abhorrent, licet propter sitim illa indigeant, ut in differentia sua CLXXIX. *Petrus Apponensis Conciliator disertè scribit. Ad rem ergo redeũtes dicimus, illud fuiße uenenum exterius absumptum. Sit prima rõ à natura ueneni, quæ est, substantiã in sui uenenatam naturam uertere. Cùm prędictus D. Leonardus bene ac rectè ualẽs pauca quædam ingeßisset, ab illis prauis symptomatibus correptus fuerit, signũ euidẽtißimum est, nõ assumpsiße alimenta, quæ in nostram uertuntur substantiam, illamq́; nutriunt, augent & cõseruant, sed uenenata alimenta, quæ eius substantiã ad uenenatã naturã conuertebant, ut ex repentinis symptomatibus manifestũ est, & illis per uomitũ eiectis, sedata ac remissa sunt oĩa, cùm præcipuũ auxiliũ in ueneni aßumpti curatione sit uomitus, ut in sexto lib. à Dioscoride habetur: quæ sic statim sedari non potuissent, si ab alia cã orta fuissent intrinseca, quę nec adeße poterat stante eius per omne tẽpus sobrietate & integra sanitate. Secunda rõ. Magnitudo symptomatum à magna cã originem trahit, sed symptomata prænarrata fuerũt magna; ergo cã ex qua dependebant erat magna: uerùm hęc nõ poterat esse alia, quàm uenenũ aßumptũ. Quòd autem talia symptomata fuerint magna; probatione nõ indigemus, cùm in ipsius ægroti corpore euidentissima fuerint. Quòd uerò aliud quàm uenenum assumptum esse nequiuerit, probatur. Nam si ab alia causa ea symptomata prouenire possent, illa utiq; humorum prauitas ac malignitas esse posset, quæ similis ueneno in corpore humano progigni potest: at talis causa eße nõ potuit,*

Veneni ꝓprium est, substantiã in sui uenenatam naturam conuertere.

Veneni assumptio vomitu curatur.

Symptomata magna, à magna causa oriuntur.

